



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**


**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

---

---

**Nutzungsbedingungen**


[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)




Th. 3181.

J. VI

g.







## PARS TERTIA.

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non peraguntur, vel fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu peragi possint.

### CAPUT PRIMUM.

*De Meditatione.*

**Q**uia ad nil juvat in tanta ascetarum copia crambem toties coctam recoquere, adverti autem, quod non semper ea, quæ S. P. N. in lib. Exercit. Directorium in exercitia, alique ascetæ nostri de vario meditando ac considerandi genere tradidère, feliciter occurrant memoriæ, dum à sæcularibus ideo de variis interpellamur. In hoc *Vademecum* pro supplemento memoriæ aliqua delibare placuit tribus sequentibus §. §.

A

§. I mus.

## §. I mus.

*Meditationis natura & partes.*

**M**editatio est actio religiosa, per quam ex discussione alicujus historiae, sententiae, parabolae, regulae, praecipii, & cujuscunque demum supernaturalis veritatis voluntas ad pios affectus, vitaeque reformandae serium propositum excitatur, gratiaque ad illud exequendum à Deo vel immediatè, vel per intercessionem B. V. Angelorum & Sanctorum postulatur. S. P. Noster meditationem vocat exercitium animae potentiarum scilicet memoriae, intellectus & voluntatis. Ità tamen, ut memoriae nomine per analogiam tam apprehensio, quàm judicium de veritate aliqua intelligatur; & sic ad eam pertineat non tantùm repraesentare mysterium vel veritatem, sed etiam personas, verba, desideria, facta expendere; & judicium de iis ferre. Per intellectum verò sola ratiocinatio seu discursus indiget. Qui dein voluntatem ad varios affectus pertrahat. Congruè etiam ab aliis meditatio dicitur esse nervosa quaedam Concio privati hominis ad semetipsum; & hinc partibus quatuor constat.

*1<sup>ma</sup>* est quasi *Exordium* (in quo Orator debet excitare & praeparare animos suorum Auditorum ad ritè percipienda, quae diciturus) & hoc consistit in oratione praeparatoria [in qua] *petimus à Domino gratiam; ut vires atque operationes*

*tiones nostra omnes sincerè ad ejus gloriam & cultum tendant.* Ità S. P. N. ] & duobus præludiis. Primum est ratio quædam componendi loci secundum materiam substratam ipsius meditationis. Alius enim locus tibi fingendus est, dum meditaris de 4. novissimis, de peccatorum fœditate, &c. & alius, dum de Christo, cælo. Illa autem imaginatio vivaciter impressa multum contribuit ad distractiones & animi evagationes impediendas. Secundum præludium est; *ut à Domino id postules, quod tibi expedit juxta præposita contemplationis argumentum.* Ità S. P. N.

*2da Pars* est quasi *Propositio* consistens in exercitio memoriæ modo supra explicato. Scilicet, ut non tantum recolatur veritas vel mysterium meditandum, sed & expendendo personas, verba, facta, judicium de iis feratur, & sic ad ratiocinationem via planetur.

*3tia Pars* est quasi *Confirmatio*, & est ratiocinatio solida, nervosa etiam operosa (dum necesse est) de veritate vel mysterio proposito. Quæ vel ad singula puncta, vel in fine ex voluntate eliciat potentes affectus amoris, aversionis, humiliationis, gaudii, tristitiæ, &c.

*4ta Pars* est quasi *Peroratio* seu *Epilogus*; in quo sicut Orator, repetitis rationibus & affectibus per concionem sparsis, animum auditoris omninò conatur expugnare, & ad hæc illa vel facienda vel omittenda efficaciter impellere; ità sibi per privatam concionem hoc est meditationem, resumptis pariter rationibus & affectibus per decursum meditationis habitis, homo

inculcat hæc illa, & quidem eodem die in praxin redigenda in his illis occasionibus, circumstantiis; per hæc illa media, per hujus illius passionis vitii suppressionem, & virtutis implantationem, &c. Hujus autem naturæ meditatio non convenit omni modo seu praxi, de qua modò agetur, meditationem instituendi,

§. 2<sup>us</sup>.

*Varii modi & praxes tum faciliores, tum operosiores meditationem instituendi.*

*Tres modi orandi à S. P. N. suggesti.*

**P**rima Praxis consistit in tribus modis orandi à S. P. N. suggestis, & est accommodatior sive pro indoctis, sive pro iis, qui caput debile & fatigatum habent. *Primus Modus est:* ut, præmissâ oratione præparatoriâ, v. g. decem præcepta, opera misericordiæ, regulas, vitia capitalia, virtutes theologicas, aut alias morales, &c. percurras; examines, quo pacto hæc illa servata, violata, commissa sint. De occurrentibus memoriæ delictis defectibus te accuses, veniam preceris, & gratiam petas meliùs v. g. deinceps præcepta, regulas servandi. Dein recites unum Pater & Ave. In singulis præceptis percurrendis vult S. P. N. tantùm insumi temporis, quo ter percurri Oratio Dominica posset. *2<sup>us</sup> Modus est:* ut, præmissâ oratione præparatoriâ, v. g. sumas pro materia medita-

*Solida devotionis exercitia.* 5

orationis orationem Dominicam ; & tam diu in voce *Pater* hæreas , quàm diu circa eam tibi significatio aliqua , similitudo , spiritualis gustus , aut alia commotio divina incidit ; & eodem postea modo alias voces percurras. *3<sup>tius</sup>*  
*Modus est :* Ut inter singulas respirandi vices singula orationis Dominicæ , aut alterius v. g. Psalmi verba transmittas ; expensa interim vel significatione prolatae vocis vel personæ , ad quam oratio fit , dignitate , vel tuæ ipsius utilitate , vel rei æquitate , affectibus brevibus , congruis intermixtis.

*Applicatio quinque sensuum.*

*2da Praxis* est applicatio quinque sensuum pariter à S. P. N. edocta ; quæ in tantum à meditatione propriè tali differt ; quòd hæc sit magis intellectualis , & solidius investiget per ratiocinationem causas effecta , attributa , &c. applicatio autem sensuum non discurrat , vel saltem non ita ; & tantum inhæreat sensibilibus. Est autem valdè utilis imprimis non satis adhuc instructo ad altiora capienda , ad quæ tamen paulatim disponit & elevat. Deinde anima etiam impinguata meditationibus mysteriorum invenit partum descendendo ad illa sensibilia. Vide exemplar ejusmodi meditationis in lib. Exercit. S. P. N. Hebd. primâ exercitio 5. de inferno. Post exercitium cujuslibet sensûs miscendi sunt affectus similes iis , qui ex his illis rebus , p. r. sensus externos perceptis , oriri naturaliter

raliter solent. Et tota meditatio colloquio claudenda est.

*Meditatio de personis, verbis, actionibus.*

*3tia Praxis*, si meditationem in tria puncta distribuas scilicet personarum, verborum, & operum vel actionum. *In personis* considerantur exteriora, interiora, potentia animae, professio, officium, pulchritudo vel sceditas virtute aut vitio affectorum &c. quibus addi potest locus. Sicut S. P. N. in meditatione de duobus vexillis contemplatur Christum humili constitutum loco. *In verbis*, quo etiam cogitationes referuntur, consideratur; quid laudandum, vituperandum, quem sensum energiam habeant. Item quid probabiliter tales personae dicere potuerint. Ipsum etiam earum silentium cum variis circumstantiis considerari potest. *In actionibus* considerantur earum natura, qualitates, circumstantiae loci, temporis, modi, motiva, effectus. Quam magnum scilicet meritum sibi vel aliis, perfectionem, gloriam, favorem apud Deum & homines quis sit promeritus; aut certe his contraria sibi compararit is; qui talem actionem peregit. Non tamen est opus; ut singula enucleate examinentur; sed sufficit haerere in uno vel altero, prout citius vel tardius documentum elucet, vel affectus consurgit. Suadetur etiam, ut praevie deliberetur, quanam circumstantiae utiliùs expendi, quanam documenta magis salutaria erui possint. Possuntque  
hoc

hoc modo probos & improbos, inferos & cæli-  
tes pro objecto habere, & per omnes cæli ter-  
ræque plagas mente vagari. Nec potest non  
esse, ut quis personas, verba, opera in singulis  
mysteriis contemplans sibi que applicans non  
colligat multiplicem fructum, & post intellectûs  
ratiocinium suâ sponte ad voluntatis affectiones  
rapiatur. Exemplum ejusmodi meditationis vide  
in lib. Exercit. de verbo incarnato.

*Meditatio de natura rei, motivo, modo, vel de  
quinque motivis, vel de ruminacione ver-  
sus; Quis, quid, ubi, &c.*

*ista Praxis* est pro exercitatis nec librum ad  
ad manus habentibus, sed v.g. in itinere de vir-  
tute aliqua seu vitio, seu doctrinâ seu facto ali-  
quo volentibus meditari: ut primò discutiant  
naturam doctrinæ, virtutis, &c. Secundò mo-  
tiva. Tertiò modum. Vel etiam unicè quin-  
que motiva sive pro fugiendo sive amplectendo  
objecto aliquo expendant. Scilicet necessita-  
tem, utilitatem, jucunditatem, dignitatem, æqui-  
tatem, vel his contraria. Et cuilibet expenso  
motivo congruus subjiciatur affectus. Vel de-  
mum materiam substratam expendant per vul-  
garem versiculum: Quis, quid, ubi, quibus auxi-  
liis, cur, quomodo, quando affectibus conve-  
nientibus simul elicitis.

*Meditatio per modum privata Concionis.*

*ista Praxis* est instituere meditationem velut

concionem privatam, prout priore §. explicavi, quatuor partibus constantem. Ubi in ratiocinio five exercitio intellectus una vel altera ratio pro & contra, vel vanitas persuasionis in contrarium discutitur adjecto simili, exemplo, testimonio, &c. causa lapsus vel propositi executioni non dati, aut virtutis in his illis circumstantiis non practicatae, & motiva id in posterum melius observandi exquiruntur; & demum in affectus solidos ac nervosos prorumpitur.

*Meditatio per varias quaestiones instituta.*

*6ta Praxis* percommoda est hominibus studiis aliisque negotiis distentis, adeoque variae distractioni obnoxiiis. Dum meditationis tempore per varias quaestiones quis se ipsum excutit, & post responsiones sibi ipsi datas congruos affectus lubnetit. V. g. post orationem preparatoriam & consueta praeludia quæro *1mo* ex me ipso, quodnam sit punctum meditationis presentis? loco responsi facit tunc exercitium suum memoria, & subjungitur actus fidei de hac vel illa veritate. *2do*. Quæro ex me, quid de hoc puncto considerandum sit? & jam intellectus facit ratiocinio suum officium; *3tio* quæro; quid utilitatis spiritualis ex his capiendum? & respondeo imprimis, ut jam de facto meditatio sine merito non absolvatur, exercitium horum illorum affectuum adorationis, fiducia, imitationis, compassionis, timoris, tristitia, doloris ac detestationis, gratitudinis, amoris

*Solida devotionis exercitia.*

9

ris erga Deum. 4<sup>to</sup> quæro, quæ doctrina practica pro die toto, aut etiam sequentibus, inderuenda; & cur ob necessitatem, utilitatem &c. exequenda? 5<sup>to</sup> quæro, quid alteri his expensis suaturus essem; vel etiam, quid aliud, si hoc non faceret, laudis vel vituperii, præmii vel pœnæ accepturus esset; & quid in agone optaturus sim me fecisse? 6<sup>to</sup> quæro, quid me hactenus à practicatione hujus illius solidæ veritatis, virtutis impedit. An & quæ passio, quis respectus humanus, &c. & sic sternitur via variis affectibus indignationis, ferventis contritionis, &c. 7<sup>imo</sup> demum quæro, quid super his cum Deo & Sanctis colloquendum; nempe esse agendas gratias, implorandam Dei gratiam, intercessionem B. V. SS. &c. non scribo hæc & similia dono contemplationis præditis. Ego infirmitatis meæ conscius experienciâ didici, per ejusmodi praxin horam meditationis feliciter, dum satis aliâs occupatus eram, vel in itinere, sine multis distractionibus decurrisse. Tu scies, quid tibi magis arideat aut conveniat.

§. 3<sup>tius</sup>.

*De consideratione & adjunctis pro felici successu meditationis & considerationis.*

**P**Rout consideratio ex mente S. P. N. à meditatione distinguitur, ea nil aliud est, quàm ponderatio cujusdam objecti minori cum apparatu facta, ac meditatio fieri solet. Hoc est

A 5

sine

sine accurata & laboriosa objecti discussione, voluntatis concitatione, sine præludiis, colloquiis. Ejus finis potissimum est inspectio & reformatio sui status specialius descendendo ad actiones quotidianas, officium in particulari. Talis consideratio apud homines debilioris capitatis vel simpliciores plus sapè boni efficit ac operosa meditatio. Maximè quando rationes nervosæ vivaciter imprimuntur.

*Adjumenta pro bono successu meditat. & considerationis.*

**U**T meditatio & consideratio cum eo majore peragantur fructu, adjumenta sunt. 1. Non accedere ad orationem illicè ab alia quavis profana actione. Si cum Magnate hujus sæculi tibi agendum sit. Nonne, ut colloquium benè succedat, diligenter præviè ad id te præparas? verum est, quòd infinitæ bonitatis ac Majestatis Deus non requirat tales à te cæremonias, quales Princeps mortalis homo ejusdem tecum ex terra damascena glebæ. Oportet te tamen antecedenter colligere sensus tuos, dum quasi es adhuc in anticamera & procinctu ad orandum. 2. Accedere ad orationem, eamque continuare cum omni possibili reverentia & submissione, Item enixâ ad Deum precatone, ut te adjuvet. 3. Actum fidei de hac vel illa veritate agnita crebrius elicere. 4. Post elicitos affectus, qui ex hac vel illa veritate agnita sequuntur, crebra instituere cum Deo vel Sanctis

etis colloquia. 5. Expectare subin, an Deus etiam ad cor loquatur. Multi nesciunt distinguere, quando Deus loquatur cum anima. Sed ut de sublimi hinc contemplationis dono non loquar, quotiescunque tu ipse pro hac vel illa veritate investiganda, hoc illove affectu eliciendo non laboras; sed absque tua singulari industria illustrius quoddam alicujus æternæ veritatis lumen ac illustratio mentem implet; vel subitus horror ratione æternitatis, judicii divini animum quatit, aut tenera compassio erga Deum patientem, aut amor cor liquefacit. Tunc Deus tecum loquitur, tunc cor Deo plenè aperi, & committe. 6. Finitâ meditatione, consideratione non facere ut homo, qui intuetur se in speculo; & statim obliviscitur, qualis fuerit, sed ita unam saltem veritatem sibi imprimere, quæ & pondus adferat pro variis per diem suspiriis ac precibus jaculatoriis, & istius diei actiones dirigat.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Confessione.*

V<sup>ERUM</sup> quidem est, quòd verecundiam, quam Diabolus tibi abstulit, dum ausus es peccare in conspectu Domini, in duplum insufflet, dum vis confiteri. Sed si rem inspicias prout in se est, invenes difficile esse Confessiones audire ob causas plurimas, non item confiteri. Quòd enim (considerando, quòd propter

propter offensum Deum infinitæ Majestatis aliquid  
 (saltem afflictionis sustinere debeas) facilius me-  
 dium amissam per peccatum gratiam Dei que  
 amicitiam recuperandi suppeditare potuit divina  
 bonitas? quam illud, ut homini alteri æquè ac-  
 tu peccatis obnoxio, & ad secretum tale, quod  
 majus excogitari non potest, obligato aperias  
 peccata tua. Qualis confusio in extremo die  
 judicii coram Angelis, hominibus, dæmonibus?  
 si tunc peccata tua propalentur in æternam dam-  
 nationem tuam, tibi que ab omnibus exprobre-  
 tur, quod confusionem illam & summam infe-  
 licitatem amoliri à te potueris, si cum dolore de-  
 bito ea homini ad secretum obligato aperite vo-  
 luisses, & tam facile medium arripere nolueris,  
 quod milleni alii damnati, si potuissent, libenter  
 fecissent. Age ergo gratias Deo, quod tam  
 exiguo rubore coram uno taciturno homine tam  
 grandem possis declinare confusionem. Ad hæc  
 quanta quies, pax, serenitas subito in animo tuo  
 exoritur! postquam tam facili modo peccatum,  
 quod te noctu diuque inquietabat, contrista-  
 bat, mordebat, unâ cum Diabolo ejecisti ex  
 anima tua, nec tantum veteres gratiæ sanctifi-  
 cantis, eique correspondentes gloriæ cælestis  
 gradus recepisti, sed & novos acquisivisti. Nam  
 per veram contritionem elicitam, quæ propo-  
 situm faciendi quod Deus vult, & consequenter  
 confitendi necessariò includit, jam tum ante  
 Confessionem in gratia Dei constitutus es, ade-  
 oque repetiti actus fidei, spei, caritatis, item  
 humilitatis conjiciendo te ad pedes hominis tibi  
 simi-

similis ; & implendo injunctam pœnitentiam  
novos adferunt meritorum cumulos. Porro  
eædem præxes pro Confessione ritè instituendâ  
adhiberi possunt, quæ parte primâ pro examine  
generali faciendo allatæ sunt. Cæterum

*Præxis ordinariâ cujusdam hæc est.*

1<sup>mo</sup>. Juxta illud Script. *Accedentem ad Deum  
oportet credere* ; elicit actum fidei de  
articulis scitu necessariis ad salutem.  
Item de Sacramento Confessionis à Christo in-  
stituto. Et quia motiva credibilitatis pro fide  
Catholica ; & consequenter de revelatione à  
Deo factâ & fallere nescio factâ super his articulis,  
quæ Ecclesia credenda proponit, planè convin-  
cunt intellectum juxta illud : *Testimonia tua cre-  
dibilia facta sunt nimis* ; devovet caput suum  
pro defensione, contestatione veræ fidei ; agit  
Deo gratias pro vocatione ad eam præ tot ho-  
minum millionibus ; petit gratiam moriendi,  
si non pro, saltem in illa, & imperat intellectui  
simplicem semper ac sinceram fidem de iis, quæ  
supra captum sunt.

2<sup>do</sup>. Quia fides est *sperandarum substantiarum*  
*rum* ; elicit desiderium fruendi in æternum iis,  
quæ credit de Deo Triuno summo in se bono,  
ejus sempiternâ visione, æternisque Beatorum  
gaudiis ; incipitque magis magisque ei desipe-  
re omne id, quod contra Deum finemque  
hominis ultimum pugnat aut disponit. Quia  
autem omne meritum nostrum & vires excedit  
desi-

desiderata æterna Dei ac cælestium gaudiorum fructio per finalem perseverantiam reportanda.

3<sup>to</sup>. Succedit huic actui spei, qui *desiderium* est, actus spei, qui *erectio animi* vocatur, & pro motivo suo habet omnipotentiam, fidelitatem & misericordiam Dei infinitam. Ob quas perfectiones Deus nobis promittens cælum, & potest & vult salvare hominem, & certè salvabit, si is à parte sua non desit.

4<sup>to</sup>. Examinat, in quo à parte sua defuerit ab ultima Confessione vel etiam aliàs, si ex priori vita confiteri præterea vult, ut eò certior sit requisitus dolor, & pœnæ temporales restantes magis extinguantur.

5<sup>to</sup>. Examine hoc peracto elicit attritionem, & ad hanc subministrant materiam ipsa motiva actus spei, quatenus *erectio animi* est; scilicet, quòd *omnipotentia divina*, quæ sicut & *justitia* elucet maximè in pœnis inferni ac purgatorii. Quòd *fidelitas* Dei promittentis æternam gloriam, infinitaque ejus *bonitas ac misericordia* nobis tanta dare volentis ( & clarè elucet præterea ex incarnatione, passione, morte filii Dei, ab eoque facta ad faciliorem in cælum viam institutione Sacramentorum Confessionis, Eucharistiæ, &c. ) tam infideliter, malitiosè & indignè offensa sit.

6<sup>to</sup>. Devotè recitando vel mentaliter percurtendo *Anima Christi* continuat quidem aliquantùm dolorem ob Deum erga se adeo beneficium offensum; sed vel maximè ruminando contenta in oratione *O Deus ego amo te, &c.*  
Deum,

Deum, ut in se infinitum ac summum bonum, & in se & propter se maximè colendus & amandus est, intuetur, & ità in perfecta de peccatis suis contritione eliciendâ occupatur. Ut, si nec pœna pro peccatis nec merces pro servo fidei Dei esset, is tamen ex toto corde doleret ob summum in se offensum bonum, eumque ex toto corde, mente & viribus amaret, eique ad ultimum usque vitæ halitum ex animo servirat. Quando taliter contritionem eliciens advertit se constitutum esse, in nomine Domini ad S. tribunal accedit.

Hâc praxi vel aliâ utere prout vis. Certa est talem esse bonam, quæ ab initio usque ad finem ab uno filo ad aliud textitur. Ubi *fides* sternit viam actui *spei*, quatenus *desiderium* est. Et hoc *elevationi animi*, ista *attritioni*, hæc *contritioni* & perfecto erga Deum *amori benevolentia*. Non contemni autem ex his omnibus continuam orationem aliquam, quia talem ex materia modò substrata ad gustum suum & devotionem majorem excitandam sibi quisque meliùs construit.

Porro quia in libellis precum obviis plurima inveniuntur pro devotione ante, in post S. Communionem inflammandâ; iis eò libentiùs hic supersedeo, quò magis illa, quæ jam de sacro allaturus sum, pro hoc quoque servire possunt hominibus magis instructis, quibus potissimum in hoc *Vade mecum* scribo.

CAPUT

## CAPUT TERTIUM.

*De Sacro celebrando, audiendo, & huc  
pertinentibus.*

**C**Apit hoc agens de mysterio omnium, quæ in Ecclesia Catholica conficiuntur, maximo in varios dividetur §. §. in quibus ea adferentur, quæ tum celebranti & audienti Missam, tum S. Communionem sumentem, tum iis servire poterunt, qui munus alios etiam adultos & clericos his in rebus instruendi in se suscipiunt, & vi vocationis suæ teneræ juventuti constanti conatu instillare debent reverentiam, devotionem & amorem erga augustissimum hoc Sacrificium & Sacramentum.

§. I mus.

*Explicatio contentorum in Missa, quæ cuivis Sacrum audienti & celebranti utiliter servire possunt, ut contentorum in ea majorem notitiam acquirat, & fructum inde colligat.  
De Confessione ante introitum Missæ.*

**S**ANCTO DEI nomine, sine cujus auxilio & gratia nihil penitus possumus, his verbis invocato: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti,* Sacerdos mox subjungit: *Introibo ad Altare Dei.* Quasi diceret, ope & gratiâ Dei adjutus audeo ad sanctum ejus Altare accedere. Et quia ante omnia

omnia faciem Dei per peccata offensi reconciliare oportet, ut eò gratius offeratur Sacrificium, confitetur Sacerdos se peccatorem & maximum quidem esse per hæc verba: *Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, nec tantum id confitetur coram Deo, B. V. SS. Apostolis Petro & Paulo & omnibus Sanctis, sed & coram omni populo. Idem cum Sacerdote facit Missæ inserviens aut eam audiens. Oportet autem id omnes facere serio, & præmeditatione cum intensissimo quodam de peccatis omnibus dolore, & firmissimo Deum posthac nunquam offendendi, ei omni diligentia serviendi, & statûs ac professionis suæ partes exactè implendi proposito. Ea de causa Sacerdos & Missæ inserviens B. V. & SS. omnium intercessionem petit dicens: *Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum &c. orare pro me ad Dominum Deum nostrum.* Ut divina Majestas gratiam elargiri dignetur factum ipsi serviendi propositum semper executioni mandandi.

*De introitu Missæ, & Kyrie eleyson.*

**I**n introitu Missæ solet Ecclesia gemere, & in suis necessitatibus opem à Deo implorare, subin etiam in gaudii exultationis simul & laudis aliarumque virtutum affectus prorumpere. *Kyrie & Christe eleyson* nonies jussu S. Gregorii Magni repetitum ferventia SS. PP. Patriarcharum & Prophetarum vota significat, quibus Deum

Deum hominem factum videre quàm ardentissimè exoptabant. *Obsecro Domine*, ingeminabat Moyles : *Mitte, quem missurus es.* Jacob Patriarcha jam moriturus hoc nixus desiderio & spe Gen. 49. lætiùs mortem oppetiit dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*, ejusque videndi aviditate totus quantus accensus Isaias clamabat: *Utinam disrumperes calos, & descenderes.* Item: *Rorate celi de super, & nubes pluant justum, aperiat terra, & germinet Salvatorem.* Il. 45. David quoque Pl. 84. ingeminat: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum,* id est Salvatorem nostrum, *da nobis.* Hujusmodi gemitibus Scriptura plena est, quibus Deum in terra ambulantem Sancti videre desiderabant, utque è cælis descenderet, enixissimè postulabant. Ad horum ergo imitationem Sacerdos celebrans, & quivis alius Missam audiens viva videndi JESUM Christum Dominum nostrum, qui salus, remedium & vita nostra est, excitet in se desideria, seque illâ consoletur spe, brevè illum se in Altari & visurum & adoraturum in ænigmate, & post hanc vitam de facie ad faciem.

*De Gloria in excelsis Deo, & Dominus vobiscum.*

**N**ato Salvatore in stabulo Bethlemítico circa noctis medium [ dum tenebris involuta omnia physicè, & moraliter respectu humani generis tenebris ignorantix circa unius ac veri Dei cultum consēpulti ] luce cælesti Pastores illu-

illuminante illis dixit Angelus Luc. 2. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Et assumptâ secum magnâ Angelorum multitudine cæleste hoc canticum simul cum aliis modulari cepit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod deinde Ecclesia sic prosequitur: *Laudamus te, benedicimus te, &c.* Quàm dolendum hæc & similia sæpè in Missa & dici & audiri sine debitâ devotionis ac exultationis gustu. Non ero tam tepidus mi Domine. Persuadebo mihi lætum nati Salvatoris nuntium toties mihi afferri ab Angelo, quoties Missam vel dicam vel audiam; eò quòd paulò post videbo & adorabo accidentibus cooperatum, quem olim Pastores viderunt, & adorarunt pannis involutum. Hæc verba *Dominus vobiscum* post hymnum dictum in hujus me fidei veritate confirmant. *Emmanuel* enim Messias nominandus erat, quod tantundem sonat ac *vobiscum Deus.*

*De Oratione seu Collecta ante Epistolam, & aliâ post Communionem dici solitâ.*

Sacerdos in oratione tum suo tum totius populi & universæ Ecclesiæ nomine varia à Deo pro temporum diversitate & pro necessitatibus occurrentium exigentiâ dona & beneficia petit, quæ Sacrum audiens cum ipso orare debet, vel si non intelligat, ad Sacerdotem se referat, qui omnium nomine petit. Idque cum eo  
ma-

majori facere debet fiduciã, quòd pro nobis in orationibus contenta postulet Ecclesia, quæ quoniam in spiritu sponsi sui petit, in petendo non errat juxta illud ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus. Ipse autem spiritus in Ecclesia eius commorans postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

### De Epistola.

**L**acrýmis deplorandus abusus est inter fideles admodum frequens, quòd verbum Dei cum tam exigua reverentia, attentione ac devotione audiatur. Sæpè magnã audiendi aviditate ad celebrem aliquem Concionatorem audiendum accurritur. Quem, tametsi in se talis non sit, horã integrã nullo cum vicinis prolato verbo audimus. Quid autem est Epistola aliud, quàm brevis quædam concio? quam SS. Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, aut de Prophetarum numero alius, aut vir aliquis sanctus ad nos habet, quorum ore Deus locutus est, & cælestem doctrinam proposuit. Dum ergo audis v. g. *Lectio Epistola B. Pauli Apostoli*; Imaginare S. Paulum tibi concionari. Sacerdos autem Pauli vel alterius verba recitans, & multò magis Christi in Evangelio, si id non faciat distinctè, clarè, & cum devotione & gravitate debitã, sed deperanter ac indevorè, melius staret cum histrionibus in theatro, quàm in templo cum Sacerdotibus ad Altare. Tu verò Epistolam legi audiens memor illius Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*

audit, qui vos spernit, me spernit. Benè ruminata in corde, quæ aure percipis, & documentum inde pro dietoto serviturum decerpe, & cogita coram Deo te substitutum malè, si sicut deberes, vitam tuam non instituas, qui tales quotidie audis Magistros ut SS. Petrum, Paulum aliosque Apostolos ac Prophetas.

*De Evangelio.*

*E*vangeliū tantundem sonat ac *latum nuntium*, & reverà ità lætum & bonum est, ut melius esse non possit pro vivis ac defunctis, sanis & ægris, divitibus & pauperibus, peccatoribus & iustis, captivis liberis, omnibus denique quâcunque necessitate pressis. Quibus in Evangelio remedium & medela proponitur. Testatur hoc Salvator ipse hæc *II. 61.* verba proferens: *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, predicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, predicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Nam iis *Luc. 4.* recitatis subjungit: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Dum scilicet me prædicantem auditis. Et nos Missam audientes audimus quotidie eundem Deum nobis prædicantem, læta nuntia per se denuntiantem, & abscondita à constitutione mundi per se eructantem, qui olim locutus fuerat per ora Prophetarum. Quàm ergo felices nos sumus in lege gratiæ præ illis, qui in lege naturæ & scriptâ vixerunt. Hinc colli-

colligere est, quantâ devotione & reverentiâ, quâ aviditate & desiderio, quâ cordis puritate & Sacerdos pronuntiare, & populus audire sanctum Evangelii textum debeat. Ut hoc nos Ecclesia doceret, extraordinariâ quâdam præventionem ante utitur, antequam S. Evangelii lectio inchoetur. Memor enim illius Is. 6. qui verbum à Deo in ore ejus positum prædicare non audebat, eò quòd *pollutus labiis ipse esset & habitaret in medio populi polluta labia habentis*. Ante Evangelium hanc jubet recitari orationem: *Munda cor meum & labia mea Omnipotens Deus; qui labia Isaia Propheta calculo mundasti ignito, ita me tuâ gratâ miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum dignè valeam nuntiare*. Quo dicto mox benedictionem accipit Diaconus, & sibi ipsi eam impertit Sacerdos dicens: *Dominus sit in corde meo & in labiis meis, ut dignè & competenter annuntiem Evangelium suum*. Ut jam quoque populus ob sanctitatem & puritatem verborum se recolligat & cogitet, quàm mundum cor & aures ad ea audienda & recipienda habere debeat, ideo dicit Sacerdos *Dominus vobiscum*. Innuens, quòd eum ipse Deus propriis verbis alloquatur, & verba ejus verba vitæ aeternæ sint, & horum unumquodque in corde asservatum vitam aeternam adferat. *Beati oculi*, ait Christus Luc. 1. *qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Propheta & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt*. Nos audimus quotidie

tidie Deum hominem factum, cum hominibus in terra conversatum, & vitam eos cælestem edocentem in sacro Missæ ministerio. Nec invidendum est iis, qui corporaliter eum viderunt, modò ipsa in nobis fides non deficiat. Nam Christus ipse B. Thomæ Apostolo olim dicebat Joan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Sicut autem in Evangelio, quod in Missa legitur, describitur nobis Christus miracula patrans, visum cæcis, surdis auditum dans, infirmos sanitati restituens, leprosos mundans, Dæmones ex energumenis ejiciens, mortuos denique ad vitam revocans. Ità reflectere oportet eundem ipsum Dominum, quem in Altari præsentem habemus, hæc ipsa in sensu morali in anima nostra efficere. Hoc unicè dolendum, quòd multi audientes vel etiam celebrantes Sacrum se ad Evangelium attentè considerandum & masticandum non ritè præparent, & eo vel audito vel lecto aridi omninò & nihilo meliores è templo abscedant, nec interrogati, quid Christus in Evangelio tempore Missæ lecto doceat, sciant desuper quidquam respondere. Cùm tamen Apostolus tam seriò moneat Hebr. 1. *Abundantiùs oportet observare nos ea, quæ audimus, ne forte pereffluamus, sive ne audita animo excidant.* Si enim, qui per Angelos & Prophetas dictus est sermo, factus est firmus [pergit l. c. Apostolus] *& omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem* [hoc est, si puniti sunt illi, qui verbis Angeli aut Prophetæ nomine Dei loquentis morem

morem non gesserunt ] quomodo nos effugiemus? si tantam neglexerimus salutem. Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ( ore scilicet, unigeniti Filii Dei Patris, incarnati ] ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus S. distributionibus secundum suam voluntatem. Verba sanè accuratâ ponderatione digna, ex quibus colligere possumus, quâ nobis attentione, diligentia, devotione legendum sit Evangelium aut audiendum in Missa.

*De Credo sive Symbolo Niceno.*

**V**etula Christiana & puer infans plus scit ex Symbolo ab Apostolis vel à Nicena Synodo inspirante Spiritu S. composito, quam veteres omnes Philosophi subtili ingenio de rerum omnium principio affecuti sunt. Nempè humanam imò & Angelicam transcendunt intelligentiam contenta in hoc symbolo. Quæ, dum à celebrante altâ voce de creatione mundi, incarnato, nato, patiente, mortuo pro nobis Christo, gloriosè in cælos ascendente, & dein iudicaturum totum humanum genus, hominesque tum ad regnum suum æternum in cælos assumpturo, tum æternis inferni pœnis addicturo recitantur, Missam audiens attentè consideret, iis tanquam à Deo revelatis firmiter adhæreat, caput & vitam pro fide hac tuenda devoveat, & cum tam sollicitè examinaret, quam in rem pecuniam suam cum commodo exponere possit, cogitet seridè, quo-

quomodo vitam suam omnesque ejus partes, quæ ex diebus, quibus supervicturus est, componuntur, imposterum cum fructu æternum duraturo fidei suæ conformiter impendere, & tentationes Dæmonis ad fidei veritates reflectendo superare possit & velit juxta illud 1. Petr. 5. *Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret, cui resistite fortes in fide,*

*De Offertorio usque ad Prefationem.*

**D**Um Sacerdos panem & vinum offert Deo, hæc oblata postea Deus convertit in sacratissimum corpus & pretiosissimum Redemptoris nostri sanguinem. Sic quidquid à nobis Deus recipit, longè meliùs reddit. Offer ergo Deo, dum in Altari panis & vinum ei offertur, tu quod habes, & dic: nihil habeo magis meum quam me ipsum, nihilque magis à me mi Deus postulas quam me ipsum. Offero ergo tibi memoriam meam, intellectum, voluntatem, oculos, aures, linguam, cogitationes, verba & opera, ut hæc omnia in meliùs convertas. Et sicut panem & vinum, quæ tibi modò in Altari offeruntur, in sacratissimum corpus & sanguinem Christi convertis. Sic obsecro intellectum meum in intellectum Christi in tantum converte, ut cogitem, quæ ipse cogitat, similiter voluntatem meam in ipsius voluntatem, ut non aliud velim, quam ipse velit. Pari modo oculos, aures, linguam meam, ut videam, audiam &

loquar ut ipse, & jam non ipse in me, sed Christus in me sit. Frustra cavillantur Hæretici, quòd Sacerdos panem & vinum offerens dicat se offerre immaculatam hostiam panem & vinum, item se illa offerre pro peccatis. Nam panis & vinum vocantur hostia immaculata anticipatò, quia mox convertentur in corpus & sanguinem Domini, quæ sunt hostia immaculata. Vocantur autem hostia pro peccatis, quia sunt materia sacrificii, ex qua fit hostia pro peccatis. Sacerdos lavans manus examinet, & simul Missam audiens, an nihil mali conscientia ei exprobrare possit, quòd veræ innocentia, puritati, vitæque sanctitati, quâ coram Deo comparere fas est, adverteatur.

*A Prefatione usque ad Consecrationem.*

**S** Gregorius Magnus constituit, ut in Canone adderentur hæc verba: *Diesque nostros in tua pace, &c.* quantò profundius in Missæ arcana descendit Sacerdos, & Deo in terram è cælis advocando, eumque in manibus suis ponendo fit vicinior, eo quoque majori cum attentione, timore, reverentiâ & amore erga ipsum se unâ cum ministrantibus Missamque audientibus gerat, necessum est. Attendat itaque quàm diligentissimè ad ea, quæ agit; eum gravitate ac modestia signa Crucis exprimat, omnes sacri Canonis orationes cum devotione pronuntiet. Quantum ad eos, quos Deo commendatos vult in *Memento* breviter & perpau-

cis, remittens se ad intentionem ante inchoationem sacri factam, id faciat, & maximam gerat curam, quo amore, reverentiâ, humilitate ac cordis puritate Deum Eucharisticum brevè tractaturus sit. Quin etiam gaudium in se excitet & exultet, quòd brevè intra manus suas habiturus sit eum, qui in quantum Deus ab æterno in æternum est in sinu Dei Patris, & quâ homo ad dexteram ejus confidet, quem novem mensium spatio visceribus & tanto tempore brachiis suis sanctissimis Deipara complexa est, & suis Simeon strinxit ulnis, qui hoc ipsum incruentum Sacrificium in ultima Cœna Deo Patri obtulit. Nec putet, quòd his aut similibus affectibus, quos ipsa verba Canonis suggerent, occupatus minùs exaudiendus sit in iis, quæ à Deo petere desiderat. Quin potiùs sibi persuadeat, multò meliorem postulata sua apud Deum successum habitura juxta illud Pl. 84. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

In oratione *communicantes* fiduciam excitet benè & ex voto cum Deo tractandi, cum hujusmodi Advocati, qualis est sanctissima ejus Mater, Apostoli, & tot Martyres unâ cum ipso se fistant Deo intercessores. Atque ità plenus fiducia absolvat orationem. *Quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tue muniamur auxilio.* Missam audiens tunc non deberet multùm orare vocaliter, sed cogitare, se brevi visurum & adoraturum Dominum Majestatis, sibi que insusurrari ab Angelis illud

Matth. 26, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei,*  
 Atque hoc majorem in eo devotionem teneri-  
 que amoris affectum excitabit, quam si voca-  
 lem aliquam orationem decurreret, quod in alia  
 Missæ parte facere poterit,

*Quomodo in sanctissimo Sacramento Christus  
 adorandus sit.*

CUM hostia in altum elevatur & calix, &  
 oculus corporeus videt albedinem, rotun-  
 ditatem, &c. oculus mentis & fidei aspicit ibi  
 præsentem Jesum Christum Deum & hominem  
 sine ulla substantia panis aut vini, ut naturæ,  
 gratiæ & gloriæ Autorem, Creatorem, Salvato-  
 rem, rerum omnium principium & finem, omni-  
 bus necessitatibus nostris mederi adeo poten-  
 tem, & ad id faciendum adeo promptum, ac  
 olim, dum in mundo ambulavit, *pertransiit be-  
 nefaciendo & sanando omnes.* Act. 1, Venit  
 ergo nobis benefacere paratus, coram quo  
 sicut in cælo ita & S. Missæ Sacrificio Cali-  
 tremunt Potestates & Angeli, qui suo nos  
 exemplo docent, quo silentio, timore, amore  
 coram eo nos gerere debeamus, & cum qua  
 adorationis signa, utriusque scilicet genuflexi-  
 onem, quâ nos totos ei subicimus, & pecto-  
 ris tunctionem, quâ adinstar Publicani nos pec-  
 catores esse, & ipsum peccata remittere pro-  
 fitemur, peragere debeamus. Hæc benè confi-  
 derata condignos suggerent affectus, & omnem  
 irreverentiam procul arcebunt.

*Quomodo sanctissimum hoc Sacrificium Patri  
aeterno sit offerendum.*

**I**Nter omnes Missæ partes, in quibus major  
consolationis & gaudii spiritualis materia sita  
est, præcipuum est id, quando peractâ jam  
elevatione Sacerdos innocentissimum agnum,  
qui aufert peccata mundi, Deo Patri offert  
piam hanc orationem recitans: *Unde & memo-  
res Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta  
eiusdem Christi Filii tui Domini nostri, tam bea-  
te passionis, nec non & ab inferis resurrectionis,  
sed & in celos gloriose ascensionis offerimus præcla-  
ra Majestati tue de tuis donis ac datis hostiam pu-  
ram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam,  
panem sanctum vite æternæ & calicem salutis per-  
petuæ.* Hæc S. Matris Ecclesiæ verba & Sacer-  
dos & Missam audiens cum plenissima fiducia  
& summo cordis gaudio ac solatio exprimere  
debet sciens, quod Deo Patri offerat rem in  
oculis tuis pretiosissimam, scilicet illum, de quo  
dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi  
benè complacui.* Matth. 3. Per quem om-  
nia impetrari possunt & debent. NB. hinc re-  
flectere potes ad id, quod specialiter petis, &  
tunc continuare orationem in Missa sequentem.

*Supra que propitio ac sereno vultu respicere  
digneris & accepta habere, sicuti accepta habere  
dignatus es munera pueri tui justii Abel, & sacri-  
ficcium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi ob-  
tulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum*

*sacrificium immaculatam hostiam.* Si jam vetera illa Sacrificia, quæ non nisi umbra & figura fuerunt Sacrificii nostri, respexit Deus. Quomodo respiciet ipsum sibi oblatum filium? qui jam inde à primo ineffabilis incarnationis suæ instanti velut omnium prædestinatorum, qui in libro vitæ, id est, divino intellectu scripti sunt, caput se statim obtulit ad patris sui voluntatem in omnibus, quæ mandaret, adimplendam ut mereretur non sibi gratiam & gloriam sive visionem beatificam, quam jam habebat, sed nobis. Solâ hâc tunc factâ oblatione infinitum promeruit, & infinitis mundis gratiam & gloriam acquisivit. Sicut & omni postea cogitatione, verbo, opere, passum aut pedum motu utpote actionibus theandricis & infiniti pretii. O si celebrans & Sacrum audiens vivaci hoc fide penetraret! quantis se thesauris ditaret vel in una Missâ remissionem peccatorum & gratiam multiplicem impetrans. Sed hoc sanguineis deplorandum lacrymis. Quod, dum in casu, quo tantum homo unam Missam celebrare vel audire posset totâ vitâ suâ, illi utique ad animam suam ditandam devotissimè interesset, quod inquam jam indies fructum illum percipere valens vel Sacrum negligat, vel obiter ac perfunctoriè sine ullo devotionis gustu id celebret vel audiat.

*Memento pro Defunctis.*

**S**i oblationes Deo factæ per elemosynam, jejuniis, aliaque pia opera pro animabus in purgatione

purgato i'o detentis tantum iis emolumentum adferunt. Quantum proderit oblatuſ pro iis in Miſſa, & à celebrante & audiente Miſſam, unigenitus Dei filius cum omnibus, quæ toto vitæ ſuæ curſu ſibi acquiſivit meritis infinitis. Quæ juxta divinæ voluntatis acceptationem iſtis plus vel minus applicantur. Prodeſt etiam illis præter ipſam Sacrificii virtutem ipſa particularis Sacerdotis in Miſſa devotio, quam ipſe à parte ſua, per opus hoc, quod agit, ut Miniſter Eccleſiæ, applicat. Quilibet ſive celebrans ſive audiens Miſſam habet fortè adhuc in purgatorio ſibi proximè conſanguineos vel alios quibus obligatus eſt. Lamentantur hæ bonæ animæ, quòd cum indies tot Miſſæ celebrentur, & tot audiri poſſint, ſub Memento, quòd Eccleſia ut pia & compatiens Mater expreſſè pro Defunctis in Miſſa fieri voluit, tam exigua earum habeatur memoria, cum tamen, ſi iſtanter æterno Patri unigenitus Dei Filius in Miſſa pro iis offerretur à ſibi in hac vita obligatis, vinculo carnis vel alio junctis, ipſi magnum inde perſentiſcerent refrigerium. Ergo quòd tibi aliquando factum voles, fac non frigidè, perfunctoriè, ſed ardentè, & benè præmeditatè pro his illis offerendo divinæ ſuæ Majeltati ſanctiſſimi Filii ſui D. N. J. C. merita. Si per *Memento* hoc in ſingulis Sacris à te continuatum citiùs illæ vel una earum conſpectu Dei perfruantur, quantas tibi per totam æternitatem aget gratias?

## De Oratione Dominica.

**D**Um hanc Sacerdos recitat, per 3<sup>ium</sup> modum orandi, quem explicavi in hac p. 30 c. 1. §. 1. cum Sacerdote eandem dicat audiens Missam; ad *ro Pater noster* excitando affectum amoris & fiduciæ. Christus in oratione in horro factâ dixit *Pater mi*. Eò quòd ipse solus sit Filius naturalis Dei. Nos verò dicimus *nostris*, eò quòd adoptione & gratiâ, quam per Sacrificium Missæ maximè impetrare possumus, multi filii Dei simus. *Qui es* ubique quidem, sed *in celis*, quo nos suspiramus, maximè ostendis gloriam tuam. *Sanctificetur nomen tuum*, ut qui in te ipso utpote immenso & infinito crescere non potes, in creaturis crescas, pluresque animæ te agnoscant, adorent, tibi que fideliter serviant. *Adveniat regnum tuum* in nobis expulso Dæmone & peccato. Et quoad hoc *fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*, ut sicut beati eam faciunt in celo, sic homines adimpleant in terra. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, pro corpore alimentum, & in omnibus necessitatibus auxilium, pro anima panem scilicet verbi Dei, panem lacrymarum & pœnitentiæ Ps. 55. Panem Eucharisticum. Qui in Evang. quoque innuitur, dum loco horum verborum Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum; dimitte nobis debita nostra*, culpæ, pœnæ, quantum toties & æternam & temporalem promeriti sumus,

mus. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*  
Benè examina, an hoc coram Deo omniscio  
corda & renes perscrutante in veritate dicere  
possis. Si non, Deum contra te ipsum provo-  
cas. Cùm petas, ut ità tibi ipsum toties offen-  
denti faciat, sicut tu iis, qui te offendunt. *Et*  
*ne nos inducas in tentationem.* Hâc petitione à  
Deo poscimus, ut, si ad nostri exercitationem  
& probationem nos diversimodè probari per-  
mittat, nos cadere non sinat, sed gratiam no-  
bis ad tentationem superandam largiatur. *Sed*  
*libera nos à malo.* Possunt etiam inter mala  
computari adversitates, sed propriè & in sensu  
strictiore unicè malum est peccatum. Quia om-  
ne in se bonum (ut apparet in Angelis ad tar-  
tara detrusis primis nostris Parentibus, & tot  
inde secutis calamitatibus à justitia divina in tem-  
pore & æternitate intentaris) corrumpit, nec  
tantum crucifixit D. N. J. C. sed & tantæ per se  
malitiæ est, ut quantum est in se, denuo eum  
crucifigat juxta Apostoli Pauli effatum. Cùm  
autem æterna damnatio sequatur in peccato  
mortali mortuum; & ab isto æterno malo libe-  
rati petimus velut filii adoptivi æterni Patris &  
confratres D. N. J. C. voce *Amen* ratificamus  
omnia, quæ petimus, & desiderium hæc à  
Deo impetrandi ostendimus.

*De Agnus Dei, Communionem, ejus diversis  
modis & fructibus.*

**P**etimus, ut misericorditer nobiscum agat  
Dei Filius & Agnus innocentissimus igno-  
scendo

scendo peccata. Cùm ergo talem in Missa occasione habeamus, non antè è templo egrediamur, quàm, quantum fieri potest, horum remissionem obtinuerimus. Quin etiam dum petimus, ut nostri misereatur, rogamus, ut nos ad pretiosissimi corporis ac sanguinis sui Communionem præparet. Cùm sine ejusdem gratia dignè ipsum recipere non mereamur. Hoc specialiter suis in orationibus petit Sacerdos, quas Communioni præmittit. Qui verò Missam audit, spiritualiter communicare allaboret, & non mediocrem gratiæ SS. hujus Sacramenti partem consequetur. Quâ occasione notandum est tres hujus Sacramenti recipiendi modos considerari posse. *Primus* est solùm Sacramentalis, quando scilicet quis communicat in statu disgratiæ, & sic abominabile instar Judæ committit sacrilegium, & reum teste Paulo se facit corporis & sanguinis Domini non secus ac qui Christum crucifixerunt. *2<sup>us</sup>* est Sacramentalis simul & spiritualis. Et hoc modo communicat quivis, qui in statu gratiæ Sacramentum hoc suscipit, & majorem vel minorem ex eo gratiam recipit pro dispositione, devotione ac præparatione, quâ ad ipsum sumendum accedit. *Tertius* est merè spiritualis, & hoc modo communicare possunt in Missa, quin imò sæpiùs per diem, fideles omnes primò eliciendo actum fidei de præsentia Christi in Sacramento & ipsum ut talem suscipere desiderando v.g. hoc vel simili affectu. Credo te hîc præsentem Domine JESU, vellem modo omnium Sancto-  
rum

rum in caelo regnantium puritatem, sanctitatem & virtutes habere ad te intra viscera mea dignè recipiendum, & jam te libenter reciperem. Sed quia modò id facere non possum, sufficit mihi hoc desiderium, quod mihi concedere dignaris, & loco actualis sumptionis modò tibi praesento hoc desiderium cum actu contritionis, & tui super omnia dilectionis. Hæc spiritualiter communicandi ratio apud pios homines admodum frequens est, & summè meritoriam esse è contrario actu patet. Sicut enim gravissimè peccaret is, qui nunquam Communionem adire proponeret. Sic qui id facere indies libenter veller existens in gratia, multum apud Deum meretur. Cùm Deus non minùs liberalis sit ad remunerandam bonam hominis voluntatem per augmentum gratiæ & correspondentis æternæ gloriæ, ac justus ad castigandum æternâ pœnâ propositum pravum hominis ipsam nunquam in Sacramento dignè sumendi, & e contra offendendi.

Præcipuus ipsius sumptionis corporis & sanguinis Domini nostri fructus est, ut ex sanctissima ejus anima & nostra una duntaxat fiat, & è sacratissimo illius corpore simul & nostro per vitæ morumque similitudinem unum corpus constituatur juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Hinc August. ait: *Signum, quia manducavit & bibit, si manet, & manetur, si habitat, & inhabitatur, si heret, ut non deseratur.* Variis id similitudinibus exprimitur. V.g.

sicut ferrum in fornacem igneam coniectum  
 scintillantes scorias ejaculatur, molle flexile, ut  
 in quamcunque formam formari queat, & to-  
 tum splendens ac quasi ignis naturam habens  
 efficitur. Ita quia Deus noster Hebr. 14. *Ignis  
 consumens est.* Nos Christum intra nos lumen-  
 tes reddimur ignei, flexiles, ardentes amore  
 Dei, & scoriam inordinatorum affectuum ab-  
 jicimus. Et sicut vilius metallum nobiliori per  
 ignem commixtum pretium majus accipit, ita  
 & nos per conjunctionem cum Christo sublima-  
 mur. Hinc Matth. 6, dicit Christus: *Misit me  
 vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui  
 manducat me, vivet propter me.* Hoc est, sicut  
 humanitas mea, quod eam Pater in una hypo-  
 stasi cum verbo conjunxerit, evecta est, ut non  
 aliam quam Dei personam habeat. Sic, qui me  
 dignè recipit, per me victurus & gratiæ vitam  
 ac divinam habiturus est. Eò collimavit Petrus  
 1. Petr. 1. dicens: *Per quem Filium suum mag-  
 na nobis & pretiosa promissa dedit Pater cælestis,  
 ut per hæc efficiamur divina consortes nature.* Hinc  
 Paulus Gal. 2. dicit: *Vivo ego jam non ego, vivit  
 verò in me Christus.* Et 1. Cor. 6. *Qui adheret  
 Domino, unus spiritus est.* Nec hæc unio locum  
 tantum habet in anima, sed & in corpore. Et  
 hinc Sacramentum Matrimonii quod facit, ut  
 duo sint *in carne una.* Gen. 6. Hujus cum Deo  
 unionis typus quoque est dicente Apostolo:  
*Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in  
 Christo & in Ecclesia.* In qua dignè Christum  
 sumens fit quasi unum cum Christo corpus,  
 nec

nec aliter corporis membris, oculis, lingua, auribus, &c. utitur ac Christus. Sicut enim ipse nec loquebatur, nec manibus aut pedibus utebatur, nisi prout volebat Pater caelestis, ita & Christo per Eucharistiam sumptam unitus aliter non utitur aut sensibus aut membris, quam prout Christus vult. Et hinc Apostolus 1. Cor. 6. ait: *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit.* Quasi dicat, fierine potest? ut corporis mei membra, quae ob unionem cum Christo Christi membra sunt, peccando meretricis membra efficiam. Malo mori quam id facere. Haec toties celebrantes & communicantes bene ruminent.

*De Benedictione Sacerdotali & Evang. S. Joannis in fine Missae.*

**D**E orationibus post sacram hostiam & calicem sumptum vide supra, ubi actum de oratione ante Epistolam. Benedictionem Sacerdotalem in nomine Dei Patris & Filii & Spiritus S. cum intima animi devotione accipe tanquam tesseram felicitis per diem successus omnium actionum tuarum. Et quod Deus tibi quoad corpus & animam in tempore & aeternitate benedicturus sit. Adverte autem non sine singulari Dei inspiratione ad Missae finem Ecclesiam nobis initium Evangelii S. Joannis proponere. Cum in illo velut brevi compendio fidei nostrae mysteria comprehensa sint. Quorum, quod particeps factus sis, singulares Deo age gratias

gratias, maximè, dum flectis genua ad myste-  
riosa illa & solatio plenissima verba: *Verbum  
viro factum est.*

Praxis modò adducta sive celebrandi sive au-  
diendi Missam potest explicari Sæcularibus, à  
Professore Discipulis, dum ad maturiorem per-  
venère ætatem. Et si de una parte Missæ ad al-  
teram allata ruminentur, vel etiam ex iis filum  
continuarum quasi precum texatur; non su-  
pererit tempus pro aliis, tempore Sacri audien-  
di, precibus; & hæc absque eo, ut v. g. Rosa-  
rium, Officia de B. V. Sanctis, &c. in aliud per  
diem tempus transferendæ essent; cum durante  
sacro sancto Missæ sacrificio mens tota in id ejus-  
que contenta figenda esset. Certè mens P. N.  
Claudii in constitutionibus fundata fuit, ut om-  
nes nostri præprimis Scholastici tempus, dum  
Sacro intersunt, meditationi potiùs tanti my-  
sterii, quàm vocali alteri impenderent oratio-  
ni, & nequidem Rosaria, quæ nostris injun-  
guntur à Catalogo precum & in suffragiis, tem-  
pore Missæ sed alio recitent. Et si, ut p. 4. con-  
stit. innuitur, Superiores judicent pro ingenio-  
rum ac temporum varietate (v. g. dum aliud  
orandi vocaliter tempus quàm tempore Missæ  
non suppetit) orationes ejusmodi nostris tem-  
pore Sacri permittendas esse. Id tamen aliter  
non videatur esse intelligendum, quàm ut tunc  
persolvantur orationes vocales, dum Sacerdos  
submissâ voce utitur. Atque hæc sunt consilia  
prout contra à regulis distincta. Optimè autem  
sanè faciet & unus ex nostris nondum Sacerdos  
&

& secularis quivis non ineruditus, si quæ Sacerdos altè dicit, is ea verbis conetur assequi vel affectu. Et v. g. ad *Confiteor* eliciat contritionem; & recogitet peccatum primorum parentum. Sub *Kyrie* Dei misericordiam imploret, & recolat desideria Patrum in limbo ad Messiaæ adventum anhelantium. Sub *Gloria* Christi natiuitatem, sub *Evangelio* prædicationem ejus recolat; & ipsum Christum sibi hæc illa inculcantem devotè audiat. Sub *Elevatione* crucifixionem; sub *Communione* Christi sepulturam ruminet; & spiritualiter communicet. Sub *Benedictione* demum de ascensione in cælum. Sub *Evangelio S. Joannis* de reditu Christi ad ultimum judicii diem cogitet, & congruus affectus eliciat. Tempore autem inter hæc intermediis eas preces recitet, quas per diem fortè nimium occupatus recitare non poterit. Hactenus allata serviunt laicis Sacrum audientibus. Secutura magis sunt pro Sacerdotibus. Quamquam & laici devotiores & capaciores inde magnum possint habere fructum. Quæ controversâ ratione Sacrificii Missæ nobis sunt cum Sectariis, vide p. 2. Subsect. 8. num. 4. à pag. 320. Quia autem hic contenta in Missa explicavi. Ex his & adferendis §. 3. & 4. satis colliges, quam infusa sint, quæ circa hæc ipsa in Missa contenta nobis objiciunt Adversarii. Nam primò liturgia sive Missa S. Petri in omnibus ferè cum nostra convenit testibus SS. Augustino & Ambrosio. Paucula verba addiderunt Leo I. & Greg. (autoritate eadem, quâ Apostolus I. Cor. II. ritum

ritum celebrationis Eucharisticae disposuit) nec quidquam deinceps alius. Nomina Apostolorum & Martyrum posteriore aeo addita sunt. V. Turrianum l. 3. dogmat. 2do. Quae mysteria significantur per vocem submissam elatam, extensionem, contractionem manuum, formationem crucum, indumenta Sacerdotalia, &c. videbis in sequentibus Paragraphis, quae venerationem ab omni ingenuo extorquent, licet à filiis Diaboli explodantur. 3to. Jam à primis Christianitatis temporibus Missa celebrata est in una ex linguis sacris, quam vulgus non intelligit, ad eò majorem mysterii venerationem. Dum plures formantur Cruces, praeter alia multiplices Christi perpeffos pro nobis cruciatus indicant, & dum super Christum jam sub speciebus praesentem fiunt, non benedicitur Christus, à quo omnis benedictio promanat, sed per id mortis ejus in Cruce commemoratio magis magisque inculcatur. Et dum dicit Sacerdos: *Super qua propitio, &c.* non orat; ut Deus respiciat super Christum, sed super nos sive oblationem illam, quatenus à nobis Christus offertur aeterno Patri. Demum per illa verba, quod in Missa Defunctorum Sacerdos petat, ut Deus animas eorum liberet *de profundo inferni*, Ecclesia proponit fidelibus per quandam hypotyposin periculum, in quo erant, quando luctabantur cum morte, ut tantò efficacius moveat illos ad orandum pro exutis corpore, ut, si in loco tertio, fortè inferno vicino, detineantur, ex isto in inferiore parte terrae sito carcere liberentur.

berentur. Per ista autem verba, quòd dicat Sacerdos se offerre Sacrificium Missæ pro redemptione animarum nostrarum, non derogatur cruento Christi sacrificio, per quod utique humanum genus redemptum est. Sed per hoc Ecclesia mater nostra innuit, quòd per Sacrificium incruentum Missæ maximè nobis applicetur fructus Sacrificii incruenti in Cruce, per quod Christus homines redemit. V. Bellarm. de Missa, & supra citatam Subsect. 8. p. 2. hujus *Vade mecum.*

Unum adhuc [ ut videas, quàm mirabiliter sibi corresponsdeant figuræ Veteris legis cum figuratis novæ legis ] addidisse juvat circa comestionem agni Paschalis & Cœnam ultimam, in qua & Sacramentum Eucharistiæ & Sacrificium incruentum Christus instituit. Judæi comedebant agnum Paschalem assatum. Christiani agnum immaculatum D. N. J. C. sumere debent in Eucharistiæ Sacramento corde per amorem ac caritatem erga Deum ità homines amantes penitus accenso & ardente. Judæi comedebant agnum cum amaro legumine agresti. Christiani Christum sumunt cum amara cordis contritione de peccatis. Judæi comedebant lumbis præinctis agnum. Christiani Christum sumunt cum Angelica puritate. Judæi pedibus discalceatis, Christiani cum affectibus & passionibus mortificatis. Judæi stantes cum baculo in manu instar itinerantium in terram promissionis, Christiani, velut in exilio mundi hujus constituti, terrenis omnibus spretis confortati cibo Eucha-

Eucharistico meminerunt se in statu viæ esse, & ad patriam cælestem, cujus figura erat terra promissionis, unicè anhelant.

§. 2<sup>us</sup>.

*De præparatione ante Sacrum, & gratiarum actione ac recollectione post Sacrum.*

**Q**UOD Eccli 33 dicitur: *In omnibus operibus tuis præcellens esto*, id vel maximè, dum Sacrum legendum, aut sacra sub eo synaxis adeunda, observandum est; quia nullum à celebraturo aut communicaturo præ his duobus majus aut excellentius opus per totius vitæ decursum tractari potest. Inter preces vocales in maxima copia impressas maximi semper facio communes Ecclesiæ preces; & hinc ante Missam me præparaturus iis utor, quas in Missalis initio mihi offert Ecclesia, & sibi ex Script. sacra & SS. PP. adoptavit. Inter quarum persolutionem simul communionem Sanctorum sive meritorum à Sanctis Dei collectorum communicationem, & applicationem à Deo mihi expeto. Et quia Sacrificium Missæ repræsentatio est mysteriorum Vitæ, Mortis, Resurrectionis & Ascensionis D. N. J. C. in cælum. Hinc orationi [ quæ pro quolibet hebdomadæ die in Missali ante Sacrum assignatur recitanda ] subjungo pariter unam ex orationibus sequentibus.

## Pro die Lunæ.

Offerotibi, mi Deus, ad honorem & gloriam tua Majestatis in omnium salutem altum illud mysterium incarnationis unigeniti filii tui juxta aeternum tuum decretum pro omnium redemptione. Insuper novem istos menses, quibus in purissimo gloriosissime Virginis hæsiti utero, & speciatim filii tui in hoc mysterio caritatem, humilitatem, obedientiam. Sicut & ardentem B. V. caritatem, humilitatem, promptitudinem, quâ laboriosum illud suscepit iter in montana, ut Elisabetha famula tua inserviret. Item humillima obsequia, quibus sua cognata per tres menses inservivit. Peto per ejus merita perfectam caritatem, & promptitudinem ad inserviendum proximo meo amore tui in necessitatibus corporalibus & spiritualibus.

## Pro die Martis.

Offero tibi mi Deus presentationem filii tui in templo, & humilitatem B. V. quâ Virgo purissima comparere voluit, quasi purificatione indigeret; Item dolorem illum, quem Virgo sensit ad hæc Simeonis verba. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Peto per Christi merita, & benedicta ejus Matris intercessionem veram obedientiam, & genuinam mei ipsius cognitionem. Offero simul laboriosam JESU, Maria, & Josephi in Egyptum fugam, longam itineris molestiam, extremam paupertatem, aliasque arumnas, quas  
ibidem

ibidem per septennium exanilarunt, internumque dolorem ac compassionem Mariae & Josephi videntium Jesulum vix natum ad necem queri: petoque, ut simili semper, teneroque devotionis affectu erga Jesum meum ferar.

## Pro die Mercurii.

Offero tibi mi Deus 40. dierum jejunium, sitim, famem, inter sylvestres feras habitationem, & humicubationem Salvatoris mei, sparsas ex purissimis ejus oculis ardentissimas pro mundi salute lacrymas, orationes, molestas Daemonis tentationes superatas, & post egressum ex solitudine sudores, labores, itinera odia, & adversa, qua pertulit. Et per haec omnia, quorum unumquodque infiniti erat meriti, peto passionum & tentationum mearum victoriam, poenitentiae & orationis studium, zelum animarum, & magnanimum atque Apostolicum spiritum.

## Pro die Jovis.

Offero tibi mi Deus infinitum erga humanum genus amorem Jesu mei; dum nocte, antequam traderetur, corpus & sanguinem suum ei in Eucharistia Sacramento per modum testamenti transcripsit. Offero agonem, quem in horto Gethemani fuso copioso ex omnibus venis sanguine pertulit; contumelias ibidem & in domo Annae & Caiphae ei illatas, percussiones, colaphos, calcium ictus, catenas, quas sustinuit; dolorem quem

quem ex Apostolorum fugâ, Petri negatione, Judæ prodicione, Caiphe sententiâ sensit. Infanda quæ ulterius passus est, velamen, quo ejus oculi fuere velati, irrisiones apud Herodem, accusationes apud Pilatum, &c. Et per hæc omnia peto recipro- cum ac debitum ex parte mea amorem JESU mei, solatium in angustiis & afflictionibus meis, forti- tudinem in adversis, mundi contemptum, resig- nationem in divinam voluntatem, promptamque obedientiam.

Die Veneris.

Offero tibi mi Deus inter spineam coronati- onem, illusionem, inter clamores: Tolle, tolle, crucifige, inter flagellationem, contumelio- sam crucis bajulationem & crucifixionem, JESU mei mansuetudinem. Et per hæc omnia peto amo- rem Crucis, constantiam in divino servitio, imi- tationem mansuetudinis erga hostes, contumelias, vel etiam acerbiora mihi inferentes. Demum gratiam amarè deslendi peccata propria & aliena.

Die Sabbathi.

Offero quinque sacra JESU mei vulnera, latus ejus perfossus, sacratissimum inde cum aqua effusum sanguinem reliquum, doloris gladium, qui ideo pertransiit animam benedicta ejus Ma- tris. Offero septem ultima in Cruce verba cum infinito erga Deum & homines amore prolata. Denam horas, quibus in Cruce pependit, & in sepul-

sepulchro jacuit. Et per hac omnia peto continuam passionis sacrosanctæ memoriam, veniam pro omnibus meis sensualitatibus, & corporis blandimentis, demum singularem erga sacra quinque vulnera devotionem, in iisque fiduciam usque ad ultimum vita halitum.

Die Dominica.

**O**ffero animarum è limbo liberationem, resurrectionem Redemptoris mei, cum Discipulis ac Apostolis amabilem in splendido ac immortalis corpore conversationem; demum gloriosam in celos ascensionem; & Spiritus sancti super congregatos Discipulos missionem. Et per hac omnia peto constantem à jugo Diaboli liberationem, ex veteri Adâ resurrectionem, novi hominis induitionem; ut dignum fieri merear habitaculum Spiritus sancti.

Omni die subjungitur Oratio Ecclesiæ. Ego volo celebrare Missam, &c. & Oratio Chrysoſt. Domine Deus emitte manum tuam de S. habitaculo tuo, & corrobora me ad propositum mysterium tuum, ut citra condemnationem assistam metuendo Altari, & immaculatum Sacrificium peragam.

Dein ante & post Missam prorumpere potes in affectus sequentes.

**A**doro te mi Deus, & quia nimis vilis est adoratio mea. Offero tibi adorationes, quas incessanter tibi faciunt sacra Christi humanitas, B. V. & Sancti in Ecclesia in celis triumphante, & in terris militante.

Anno

Amo te mi Deus &c. & amorem meum exiguum unio cum amore, quo tu te ipsum ab aeterno in aeternum amas, quo Christi humanitas, benedicta ejus Mater, omnes Calites, & omnes in universum viri sancti ac boni te prosequuntur, & in aeternum prosequuntur.

Doleo de peccatis meis &c. & in vicem imperfecti mei doloris offero tibi mi Deus amarum contritionem, quam sancti poenitentes David, Petrus, Magdalena, &c. de suis peccatis habuerunt, doloremque infinitum, quem Christus in horto de peccatis nostris habuit; ut ideo ex omnibus venis ad poria facer ejus sanguis proruperit.

Offero tibi mi Deus in satisfactionem pro peccatis meis opera, labores, ardua objecta. Pudet circa ea qua passus sum, quod tam parum, & tam imperfecte tui causa aliquid pertulerim. Ut autem meliorem tibi satisfactionem presentare possim, interpono merita passionis ac mortis Salvatoris mei, B. M. V. omniumque Sanctorum. Per qua peto, ne sine condigna moriar poenitentia.

In unione amoris & intentionis, qua tu te ipsum mi Christe in ESU in ultima Coena & in Cruce Deo Patri obtulisti, offero tibi hoc Sacrificium, & in locum exiguae meae preparationis adjungo caritatem, puritatem B. V. Maris tuae, & omnium Sanctorum.

Da mihi Deus meus fidem vivam, cherubicum ardorem, reflexionem continuam ad sacrosancta, qua peracturus sum, mysteria, & a distractione omni liberationem. Vivaciter mihi imaginor, quod stem ad montem Calvaria, idem quod ibi cruen-

*tum peractum est, facturus Sacrificium.* Dein suspirium fiat 1. ad B. V. ut, quemadmodum illa filio suo in Cruce pendenti constanter adstitit, ita & tibi celebranti assistat. 2. Ad omnes SS. Patronos tuos, & Sanctum, cujus festum agitur, ut juvent suâ apud Deum intercessionem intentionem & vota tua. 3. Idem petatur ab Angelis Sacrificio adstituris, quod quoque magnam in te reverentiam & attentionem excitare debet.

*Post Sacrum.*

**I**n recessu ab Altari imaginetur sibi Sacerdos, se vivum esse venerabile, cum intra se Christum habeat. Hinc ne faces ardentes in honorem Venerabilis accendi solitæ desint. Rogetur Christus & B. Virgo, ut admittant Sacerdotem inter beatos illos amplexus, quibus alter alteri junctus est in primo instanti Dominicæ Incarnationis. Offerantur simul desideria Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium ex novem choris Angelorum; specialiter Angeli Custodis tui, SS. Josephi & Joannis Baptistæ, aliorumque à te in Patronos electorum & omnium Sanctorum.

Dum vestes Sacerdos exuit, prorumpat in affectus & orationibus, quas ante Sacrum inter induendum recitavit; & mysteriis, quæ per albam, stolam, manipulum, cingulum, casulam significantur, accommodatos. Dum lavat digi-  
gitos,

gitos, spondeat Christo, se toto die memorem fore Sacrificii peracti, & beneficii præstiti. Et licet vestes Sacerdotales deposuerit, se tamen non obliturum characteris sui, novasque animæ sordes evitaturum. Dein dolens, quòd in medio igne, quem intra viscera modò habet, algeat: & gaudens (quòd in malo igne mundi & carnis positus non comburatur) dicat cum summo fervore, & proposito millies potiùs moriendi, quàm idolum adorandi, hoc est, carni, mundo serviendi, canticum puerorum cum Antiphona & precibus in Missali additis, quæ semel pro semper debent sciri de memoria. Post hæc eliciantur mentaliter æctus fidei, spei, charitatis, contritionis, prout hîc cap. secundo de Confessione exposui. Post hos affectus arripitur, si non physicè saltem in spiritu crucifixus, & per osculum SS. vulnerum pedum petitur vitatio peccatorum. Per osculum manuum constantia in virtute. Per osculum oris pax & concordia propriæ voluntatis cum divina. Per sacrum latus intratur in cor JESU, & mentaliter cum affectu fervente percurruntur notæ illæ preces: *Anima Christi. O Deus ego amo te. Suscipe Domine universam meam libertatem.* Dein formula votorum *Omnipotens sempiterne Deus.* Inter hæc suspiria advertendum est, quòd tu non tantùm cum Deo loqui debeas, sed etiam advertere; an ipse tibi ad cor loquatur. Sicut dum magnus Princeps te invisit, etiam audis & quidem cum submissione debitâ, quid ipse jubeat, quàm gratiosum se ostendat. Post hæc

C

pro-

prorumpere in affectus indicatos per verba sequentia: *Toto me, toto te, toto universo, toto hodie volo facere & pati mi Deus, quod vis, quia vis, & quomodo vis. Insuper sincere hodie agam cum Deo & hominibus. Diligo ex animo inimicos meos, eosque, quantum in me est, ex amore Dei purissimo volo beneficiis obruere. Cum gratia Dei hoc illud arduum agam, patiar; in hoc illo aliam mihi difficillimo me vincam. Demum cordi Jesu commendo confratres, consanguineos meos in statu peccati mortalis, item in carceribus, in angustis, miseris constitutos, & præcipue duas classes, quæ se ipsas juvare non possunt. Scilicet pueros, qui hodie in periculo erunt, ne baptismum accipiant, & animas Defunctorum, meorum Consanguineorum, Benefactorum, Confratrum in Christo, amicorum, & quorumcumque aliorum, etiam eorum, pro quibus minime oratur. Ut vi præsentis Sacrificii, quod obtuli, & indignarum precum mearum in unione thesauri infiniti meritorum Ecclesiæ à Christo Sponsæ suæ concrediti, in pœnis levamen sentiant, & una Deo bene visa ad beatificam visionem admittatur. Si hæc NB. indies ferventer petas. An non spes summa est? ut una saltem per te anima pueri baptizati salva fiat, & alia eodem citius ex purgatorio liberetur. Quæ in celo postmodum benefactorem suum in Deo velut speculo videns & pro te, quam diu Viator es, erit sollicita, & per totam deih æternitatem tibi gratias aget. An non hæc est merces operi magna nimis?*

*Solida devotionis exercitia.*

§ I

His omnibus ritè peractis possunt subijci ex Missali una Oratio S. Thomæ *Gratias tibi ago, &c.* & altera S. Bonaventuræ *Transfige dulcissime Domine IESU.* Item pro varietate una ex infra adferendis cum clausula sequente.

**I**n satisfactionem omnium defectuum ô Domine IESU Christe commissorum in opere hoc, quo præstantius totâ vitâ facere non possum, offero tibi per manus benedictæ Matris tuæ primarias ejusdem, in vita hac mortali actiones, adhaerentiam in tuâ conceptione, blanditias caritatis in annuntiatione, devotionem ac pietatem in nativitate, humilitatem in purificatione, & tuî ipsius in templo oblatione, indifferentiam in fugâ in Ægyptum, afflictionem & sollicitudinem in tuâ inventione in templo, curam & tenerrimum affectum in tuâ educatione, sanctissimam ejus tecum conversationem, conformitatem cum voluntate Patris aterni in monte Calvaria, zelum in desestatione peccatorum, sitim in præsolatione paracliti, virtutes denique innumeras, sanctissimam ejus mortem, & omnia ejus, & totius sanctæ Ecclesiæ merita.

Aliqui Sacerdotes solent ante Sacrum orare Primam, dein ea quæ serviunt pro præparatione. Post Sacrum persolutis iis, quæ hic attuli, vel immediatè post adferam, recitare reliquas minores horas. Tu fac quod voles. Bonum tamen erit, si mediam horam pro Sacro computando per quadrantem deinde unum ante, & per unum post Sacrum, per preces sive vocales sive mentales Deo unitus maneat. Ne objicere tibi possit Dominus, in tam tremendo occupato

pato Sacrificio. Non potuisti unâ horâ vigilare  
mecum? Matth, 26,

*Orationes ( quarum unam alteramve post Sacrum  
vel mentaliter vel vocaliter orare soleo ) partim  
hominibus Societatis partim aliis accommo-  
data sunt, & sunt sequentes.*

*Ad Deum Patrem.*

**D**Eus, qui nos à sæculi vanitate conversos,  
ad bravium supernæ vocationis accendis,  
pectoribus nostris purificandis illabere, & gra-  
tiam nobis, quâ in te perseveremus, infunde;  
ut protectionis tuæ muniti præfidiis, quod te  
donante promissimus, impleamus: & nostræ  
professionis executores effecti, ad ea, quæ per-  
severantibus in te promittere dignatus es, per-  
tingamus.

*Ad Dominum JESUM.*

**D**ignare benignissime JESU, per hoc san-  
ctum nomen tuum, esse mihi Jesus, &  
dare mihi spiritum Societatis Jesu. Intere, quæ-  
so, cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut  
ejus dulcedine pascar, ejusque amore ita ardeam,  
ut moriar in te JESU mi dulcissime, JESU mi sua-  
vissime, JESU mi dilectissime, invocato sem-  
per hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc sa-  
lutifero nomine tuo JESU, JESU, JESU.

*Ad Spiritum Sanctum.*

**D**Eus, qui renuntiantibus sæculo mansiones  
paras in cælo, dilata omnium nostrorum  
corda

Corda caelestibus bonis, ut fraternam teneamur compagine charitatis, unanimis praecepta custodiamus, sobrii, simplices, & quieti, gratis datam nobis professionis gratiam fuisse cognoscamus. Concordet nostra vita cum nomine, & professio sentiatur in opere. Qui cum Deo Patre, & Filio ejus Domino nostro vivis & regnas in saecula saeculorum.

*Ad beatam Dei Genitricem.*

**C**ordi, quaesumus, tibi sit Maria Virgo, Dei mater optima, universi Ordinis nostri famulus: omnibus nobis impetra cor secundum cor Filii tui dilectissimi: ut qui nos ad Societatem ipsius vocatos esse laetamur, opem, gratiamque nobis, te intercedente, sentiamus adesse perpetuam. Amen.

Oratio pro nobis Beatissime Joseph.

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**S**anctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur: Ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas in saecula saeculorum. Amen.

*Pro Spiritu S. P. N. impetrando.*

**E**xcita, Domine, in Societate tua Spiritum, cui B. Ignatius Confessor tuus servivit: ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amavit, & opere exercere quod docuit. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum, Amen.

*Ven. Servi Dei Petri Canisii Soc. IESU Theologi,  
Formula precandi pro se, & pro aliis,  
in Societate.*

**E**Xue me, Domine, veterem hominem, cum affectibus & inclinationibus malis, quibus me obnoxium esse nôsti. Indue me novum hominem, quem hæc sancta requirit vocatio, ut de die in diem renover, cum ardenti desiderio & constanti studio in solidis virtutibus, quæ mihi desunt, proficiendi. Nè permitte me, Domine, graviter & periculosè tentari, præsertim circa vocationis gratiam. Da in adversis animi fortitudinem ad resistendum & vincendum, Concede perseverantiæ donum, ut usque ad mortem tibi fidelis existam. Auge in me gratiam, promissa vota ritè præstandi, ut paupertas verè simplex, & Angelica castitas in me vigeant nec minùs interior, quàm exterior obedientia me totum sibi vendicet; tibi que gratum, assiduum, & perfectum præbeat ad holocaustum. Amen.

Miserere mei Pater misericordiarum, quòd in sæculo & religione tuam sæpè offenderim Majestatem, tuis adhuc beneficiis ingratus, in cursu meæ vocationis tepidus, veri timoris & amoris expers, nec sollicitus, ut ad tuam gloriam, & meam salutem sincerè omnia conferam. Aperias mihi oculos, quæso, ut videam, & vires augeas, ut possim, & voluntatem simul impellas, ut velim in via tua, & vocatione mea progressus debitos facere, atque ad propositum

tum mihi scopum rectà contendere, nimirum mei ipsius, & proximi salutem atque perfectionem semper impensè procurando. Fiat in me, & de me, ubicunque verser, & quicquid patiar, voluntas tua bona, beneplacens & perfecta. Sanctificetur in me Nomen tuum sanctum, ut bonæ Majorum meorum expectationi satisfaciam, ac particeps demum fiam justorum omnium, cum in Ecclesia Catholica, tum in Societate hac tibi placentium, imò & in cælesti patria triumphantium. Per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Miserere nostrorum Parentum, ac Majorum omnium spiritualium. Fac, Domine, ut illi juxta Spiritum tuum sapiant, & prudenter subditos regant, nosque verè obediens filios esse gaudeant.

Miserere amicorum & patronorum nobis, nostræque Societati, tum in spiritualibus, tum in temporalibus rebus fideliter assistentium. Tuere eos ab omni malo, nec solum in vita, sed post mortem etiam, ut te pro nobis munificum sentiant remuneratorem.

Miserere Societatis nostræ, quam plantavit dextera tua, ut ipsa sicut arbor fœcunda magis magisque crescat in toto orbe terrarum, ac gratis tibi fructibus abundet semper in horto Ecclesiæ tuæ.

Miserere defunctorum, sive fratrum & benefactorum, sive externorum & Catholicorum omnium. Dona eis, Domine, in tenebris lucem, in

pœnis requiem, & in regno tuo beatitudinem sempiternam, Amen.

Miserere discipulorum, & filiorum spirituum, quos ubique gentium Societati nostræ instruendos, gubernandos, & adjuvandos tradidisti. Confirma in illis, Domine, bonum semen, ut in litteris, moribus, atque virtutibus magis magisque proficiant, & à Nostris rectè & feliciter curentur.

Miserere Patrum ac Fratrum in sua vocatione stantium, ut per te in recto virtutum cursu confirmentur. Miserere item nutantium atque claudicantium, ut potenti spiritu tuo adjuti, & consolidati, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinent.

Miserere quoque lapsorum, ut desertores filii ex apostasiæ statu resurgant, & priorem vocationis suæ gratiam agnoscant, tibi que per veram pœnitentiam reconcilientur.

Miserere inimicorum, & apertè vel occultè nos, ac Societatem nostram persequentium. Non illis hoc imputes in peccatum, sed illis gratiam tuam, & respicientiam, ac charitatem veram impartiaris, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Miserere schismaticorum & hæreticorum, ut ad Ecclesiæ redeant unitatem, & relictis errorum umbris, Catholicæ doctrinæ lucem nobiscum fideliter amplectantur.

Miserere peccatorum, qui mundo, carni, Sathanæ potiùs, quàm tibi Deo vero & vivo serviunt, & ad perpetuæ mortis portas percurrunt.

Con-

Converte illos, Domine, ad viam penitentia,  
& mortuis vitam gratia restitue, ne alioquin in  
peccatis suis morientes, a tua gratia & gloria per-  
petuo separentur, Amen.

*Oratio R. P. Canisi post Sacrum.*

**D**EUS, qui novos Operarios ad Ecclesiae tuae  
vineam subinde mittis, immensa Bo-  
nitati tuae gratias ago, quod per Servum tuum  
S. Ignatium hanc tuam Societatem mirabiliter  
erexisti, & erectam late in orbe propagasti, me-  
que licet indignum illius participem facere vo-  
luisti; auge in me germanum spiritum, qui  
primum in hujus instituti Principe viguit, &  
concede, ut, quotquot ejusdem Corporis mem-  
bra sumus, secundum quod ille docuit, amori  
proprio moriamur, & in obedientia perfecta  
fundati in vinea tua frugiferos palmites profera-  
mus, cunctaque ad majorem Nominis tui glo-  
riam sincerè convertamus. Ejusdem S. P. N.  
suffragantibus meritis, & virtute Divini Sacri-  
ficii Corporis & Sanguinis tui adjuvemur, ut ab  
Evangelicae perfectionis norma non deflecta-  
mus, tibi que secundum illius exemplum, ac le-  
ges fideliter inserviamus, ac deum solidas bo-  
ni Religiosi virtutes, quas passim a suis ille exi-  
git, ad mortem usque praestemus, Amen.

*Oratio formula votorum à S. P. N. concinnata,  
paulo fusiùs ad majorem ejus intelligentiam  
instillandam, & fervorem in divino  
servitio acuendum, deducta.*

**D**omine Deus, quod tepidè ac imperfectè  
inserviamus tibi, vota que tibi facta non cum

ea, quâ par est, exactitudine observemus. Provenit utique ex defectu debitæ reverentiæ, & timoris salutaris, condignæ item & solidæ æstimationis præmiorum à te nobis promissorum per totam retro æternitatem; & genuini erga te summum bonum amoris. Hæc ut à nobis averteret, vel etiam à recta via aberrantes revocaret S. Fundator noster Ignatius, formulam votorum inchoat ab his verbis: *Omnipotens sempiternæ Deus*. Nam te qua omnipotentem utique timere debeo; quia, aperiente te manum tuam, & Omnipotenti gratiâ tuâ assistente, animam meam imples bonitate; avertente autem te hanc gratiosam faciem tuam habitur anima mea; & ex summo etiam perfectionis apice in profundissimam peccatorum abyssum decideret.

Quâ aeterno autem, & in æternum consequenter præmianti cum omni fidelitate me alacriter ac fideliter tibi dedicare, quâ Deo, sive summo ac infinito bono, tibi ardentissimo amoris nexu conjungi debeo. Imò & hæc tria divina prædicata tua me ad continuum humilitatis erga te, fiduciæ in te, desiderii ferventis tibi perfectè serviendi exercitium incitare quàm maxime debent. *Hinc ego licet undecunque ob innumera peccata mea, divino conspectu tuo indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordiâ tuâ infinitâ; & fiducia Ignatiana* [vi cujus mihi à parte mea ita laborandum est, ac si soli omnia conficienda sint, & post hæc ita in te confidere debeo, quasi tu solus omnia peracturus sis] *& impulsus vivo quodam mentis ardore, qui omnem*

omnem eodem S. Ignatio inculcante teporem  
eliminet, tibi *serviendi desiderio voveo coram sa-*  
*cratissima Virgine Maria* immaculatè concepta,  
mihì à te in Matrem data, & *curia tua celesti*  
*universa Angelis & Sanctis* ( quos omnes in Pa-  
tronos eligo, & in testes eorum, quæ voveo,  
assumo, speroque ab iis in extremo iudicii die  
non ut stultum aut infidelem promissorem con-  
fundendum ) *divina Majestati tue*, coram qua  
tremunt Angeli & Archangeli; *Paupertatem,*  
*castitatem, & obedientiam perpetuam.* Tu Do-  
mine da gratiam; ut non tantùm nunquam  
contra hæc vota religionis substantialia delin-  
quam; sed ut in virtute quoque Apostolicæ  
paupertatis, Angelicæ castitatis, genuinæ à S.  
Patre meo, in aurea sua de obedientia, epistola,  
inculcatæ obedientiæ me quotidie perficiam;  
& quidem *in Societate JESU.* Quæ ad perfe-  
ctiones has assequendas uberrima subministrat  
media. Insuper *promitto* quarto voto addito;  
*eandem Societatem*, ad quam præ tot millibus  
ex peculiari gratia vocasti, *me ingressurum, ut*  
*vitam in ea perpetuò degam juxta ipsius Societatis*  
*constitutiones*; quibus me exactè quoad omnia  
conformare volo sciens, quòd non aliam à me  
perfectionem operaque alia, quam his consti-  
tutionibus conformia à me expetas. Et licet  
voto obedientiæ obstrictus ad id tenerer, vi ta-  
men peculiaris hujus quarti voti me ultroneè &  
sponte obligo ad gradum illum in Societate ac-  
ceptandum, & quidem tunc; quem & quan-  
do ejusdem Præpositus Generalis mihì assigna-  
bit:

bit: *Atua ergo immensa bonitate ac clementiâ per JESU Christi sanguinem, tanquam fortissimum, gratiam petitam, mihi dandi motivum, peto suppliciter: Ut hoc holocaustum [ vi cuius nihil prorsus mihi relinquo, per paupertatem bonis omnibus externis, per castitatem corpori ac carni, per obedientiam iudicio proprio, propriæque voluntati emoriens ] in odorem suavitatis ( sicut olim Sacrificia ac holocausta tibi à SS. Patriarchis oblata ) admittere digneris in unione holocausti cruenti, quod Dominus Jesus in Cruce obtulit, & incruenti, quod indies in Missa tibi offertur: Et ut largitus es ad hoc desiderandum & offerendum ex pura erga me indignum misericordia & amore. Sic etiam ad exemplendum, in quo cardo æternæ felicitatis meæ vertitur. Gratiâ uberem sive congruam ( prætervando ab iis occasionibus, in quibus me fore scædifragum prævidisti, & donando gratias in illis circumstantiis, in quibus me consensurum prævidisti ) largiaris, Amen.*

*Suspiria S. Francisci Xaverii, sive oratio eius O  
Deus ego amo te, Rhythmicè orari  
potest hoc modo.*

*Ut te colam Deus meus. - Non me movet terror tuæ  
Manus, vibrantis fulmina. - Nec horror ignis tartari  
Urentis æternum reos. - Tu me Deus per te moves  
tu Christe transfixus trahis. - Crux urget, incendit  
cruor  
Jesu tuis plagis fluens. - Si cesset inferni metus,  
Tollatur & spes gloriæ. - Ego tamen mi conditor  
Te dotibus captus tuis. - Te numen adorans metum  
Subli-*

Sublime: sanctum providum - Amore gratis prosequar.

Te Christe te Fili Dei - Te Virgo, proles virginis  
Manuete, fortis, innocens - Dignate pro nobis mori  
Gratis merentem diligam.

*Oratio alia S. Xaverii.*

**A**terne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium, hæreticorum & peccatorum procreatas, easque ad imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subisse necem. Noli quaeso Domine ultra permittere; ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; sed precibus sanctorum electorum tuorum, & Ecclesie sanctissimæ Sponsæ ejusdem Filii tui placatus, & oblitus idololatriæ, obstinatæ hæresis, & deterrimæ ingritudinis eorum effice; ut & ipsi aliquando agnoscant, timeant, ament ac reverentur, quem misisti D. N. Jesum Christum, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus: cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

*Possunt etiam decerpi ex Missali (quia, ut sape dico, magna est fiducia ponenda in communibus toti Ecclesie precibus) Collecta varia, v.g.*

**O**mnipotens sempiternæ Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis. Te supplices exoramus, ut pro  
C 7 qui-

quibus preces effundere decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum, &c.

**P**urificent nos quæsumus omnipotens & misericors Deus Sacramenta, quæ sumpsimus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis præsta, ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum. Per Dominum, &c.

*Pro omni gradu Ecclesiæ.*

**O**mnipotens sempiternæ Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur. Exaudi nos propitius pro universis ordinibus supplicantes; ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum, &c.

*Pro congregatione & familia.*

**D**efende quæsumus Domine, beatâ Mariâ semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto tibi corde prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Dominum, &c.

*Pro quacunque necessitate.*

**S**umpsimus Domine sacri dona mysterii humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemora-

morationem nos facere præcepisti, in nostræ proficiant necessitatis auxilium, Per Dominum,

*Pro Tribulatis.*

**D**EUS qui justificas impium, & non vis mortem peccatorum: Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua misericordia confidentes cælesti protegas benignus auxilio, & assiduâ protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te separentur. Per Dominum, &c.

*Pro Defunctis in genere.*

**H**OSTIAS quæsumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, ut quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per Dominum,

*Pro Defunctis, Propinquis & Benefactoribus.*

**P**RÆSTA quæsumus omnipotens & misericors Deus, ut animæ Fratrum, Propinquorum & Benefactorum nostrorum, pro quibus hoc Sacrificium laudis tuæ obtulimus Majestati, per hujus virtutem Sacramenti à peccatis omnibus expiatae lucis perpetuæ te miserante recipiant beatitudinem. Per D. N. J. C.



§. 3<sup>tius</sup>.

Praxis durante Sacrificio Missæ recolendi memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi, quorum memoriam in eo agi proficitur Ecclesia in oratione ante *Orate Fratres, Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem.* Et immediate post consecrationem calicis, unde *Et memores Domine.*

**V**idebitur praxis hæc ex variis excerpta inexperto tam celebranti quam Sacrum audienti difficilis aut fusa nimis esse; sed paulatim assueto erit facilis & valdè commoda, tum ad devotionem augendam, tum ad distractiones evitandas. Citò enim cogitatione percurrerit, quod fusiùs, ut intelligar, exponere debeo. Porro praxis per unum quasi filum prototo Missæ tempore deducta est sequens.

*Sacristia, Psalmus: introibo.*

**E**Sacristia velut è cœnaculo, ubi Christus Eucharistiae Sacramentum, & incrementum sui ipsius Sacrificium instituit, progredior ad Altare tanquam ad hortum Oliveri. Imaginor mihi præcedere Dominum meum. Trinam ejus in oratione in horto factâ inclinationem in terram veneror, dum in ascensu, descensu, & in medio Altaris vel flecto præsentem Venerabili, vel profundam aliàs reverentiam facio.

In persona Domini mei recito Psalmum *Judica. Discerne causam meam* coram Anna, Cai-pha,

pha, Pilato ventilandam. *Confitebor tibi in cythara* extensione mei in Cruce. *Quare tristis es anima mea?* usque ad mortem & copiosissimam sanguinis effusionem. *Confiteor* Christus ob aliena in se suscepta, ego ob peccata propria. *Misereatur, &c. Indulgentiam.* Petit Christus plenam pro toto humano genere misericordiam & indulgentiam. Ad verba *Deus tu conversus.* *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* *Dominus vobiscum.* Video Dominum meum ab Angelo confortatum resumere animos; redire ad Discipulos dicendo: *Eccè appropinquat, qui me tradet.*

*Ascensus ad Altare.*

**D**Um ad Altaris medium ascendo, infixoque ei osculo vado ad cornu Epistolæ. Osculo traditur Dominus meus; capitur, raptatur ad Annam, ubi præter alias acceptas injurias colapho percutitur. De hoc doleo, & cum idem moraliter toties fiat à Christianis.

*Kyrie, Gloria.*

**I**mploro primùm divinam misericordiam tẽ *Kyrie* ad singulas in Trinitate personas dirigendo; cupiensque quantum possum, reparare injurias Domino meo illatas. Dico cum fervore & unionẽ totius Ecclesiæ militantis & triumphantis *Gloria in excelsis Deo.* Dicto *Dominus vobiscum;* dum ad cornu Epistolæ redeo, rapitur ante me Dominus meus ad domum Caiphæ.

*Collecta, Epistola.*

**D**Um *Collectas* dico, recurrunt animo *Collectæ,* accusationes, illusiones, &c. quòd inter

inter hæc maximè contristavit Dominum, trina Petri negatio. Tempore *Epistolæ* cogito Dominum meum specialiter fuisse accusatum ut ever-  
sorem veteris legis.

*Oratio, Evangelium.*

**D**UM à cornu *Epistolæ* ad medium Altaris procedo oraturus, ibidem consuetam orationem, præcedit me Dominus meus à domo Caiphæ ad Pilatum, apud eum de variis accusatus, eum à Pilato ad Herodem missum prosequor, dum ad cornu *Evangelii* vado lecturus *Evangelium*. Et quia apud utrumque ratione doctrinæ suæ maximè accusatur, & usque modò doctrina Christi maximam patitur contradictionem ab infidelibus, hæreticis, & pro dolor ipso facto à Catholicis. Hinc cum summo desiderio prædicandi cum fructu *Evangelii* id altè, clarè, distinctè ac devotè recito. Ante hoc autem, initio *Evangelii* Cruce signato, *Dominus vobiscum*, eâ intentione dico, ut, quàm exterioriùs omnes Sacrum audientes adhibent verbo Dei reverentiam surgendo & stando; eam quæ re ipsâ & in animo exhibeant, & in spiritu cum Sacerdote devoto osculo venerentur locum lecti *Evangelii* ad significandum ardorem; quo totam illam doctrinam amplecti, in corde conservare; & etiam, quoad consilia *Evangelica*, executioni mandare volunt.

*Credo.*

**I**NTERIM à cornu *Evangelii* ad medium Altaris præcedit me Dominus meus ab Herode remissus

missus ad Pilatum, veste albâ indutus tanquam homo fatuus, cui non sit credendum. Ego autem ad injuriam hanc secundum posse meum reparandam offero Deo ardentem fidem SS. omnium, & maximè Martyrum, & in unione zeli horum pro sancta fide devoveo caput meum, dicoque cum ardore *Credo*: ubi totam Christi vitam, passionem, resurrectionem, ascensionem, adventum ad iudicium breviter recolens, ad verba illa *Incaratus est* memor dicti S. August. l. 2. Conf. c. 9. *Postquam Verbum caro factum est, flexi genu:* quasi pondere mysterii Incarnationis, tantique in nos amoris obrutus, labasco in terram; & è vestigio surgo cogitans, me pro merito meo jam in infernum prolapsum, virtute passionis corroboratum, ad vitam cælestem assurgere, & crucis signo sub finem *Credo* formato, eo quasi sigillo totius fidei confessionem firmo. Dicto *Dominus vobiscum*, stat adhuc Dominus meus ante Pilatum.

*Offertorium.*

**A**D *Offertorium* video, quòd se æterno Patri elatis in cælum manibus pro salute nostra offerat ad omnia tormenta. Dum denudatur calix, apparet vestibibus spoliatus, nudus ad columnam alligatus, flagellatus, spinis coronatus. Nec vacat mysterio, quòd ante orationem *Offerimus tibi Domine calicem, &c.* patena partim sub corporali, partim sub purificatorio abscondatur. Nam Domini mei divinitas, per patenam fulgentem adumbrata, jam magis magisque latere incipit sub infirmitate passionis.

*Ablu-*

*Ablutio digitorum.*

**D**Um extremitates digitorum abluturus vado ad cornu Epistolæ, video Pilatum lavantem manus suas dicendo: *Innocens ego sum à sanguine justis hujus.* Ego autem inter dicendum *Lavabo inter innocentes manus meas,* sciens me reum esse sanguinis JESU Christi, petam, ut imposteriorum saltem per ejus gratiam innocens maneam. Ad illa verba: *Dextera eorum repleta est muneribus:* detestor omnes pro pecunia Christum sive spiritualia vendentes, ementes. Ad verba: *Redime me Domine:* in sensu, ab impiis Judæis diverso, peto, ut sanguis JESU Christi sit super me, confratres, propinquos meos, omnesque homines. Et dum dico: *Suscipe Sancta Trinitas:* peto instanter, ut illa has preces meas in æternum ratas habeat. Et ideo quoque preces aliorum expeto dicens: *Orate Fratres.*

*Secreta.*

**D**Um ad Secreta pervenio, recolo quam infanda Dominus de nocte à militibus illudentibus passus sit. Quid Pilatus cum Christo secreto locutus sit, interrogando: *Quid sit veritas, &c.*

*Prefatio.*

**D**Um dico: *Per omnia secula seculorum:* imaginor mihi altè clamantem, & compassionem in populo erga Christum tam dirè habitum commovere conantem Pilatum dicendo: *Ecce homo, &c.* In Præfatione audio clamantes:

res : *Tolle, tolle, crucifige ; non habemus Regem nisi Cesarem ; si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* Ego in compensationem aliquam tot blasphemiarum & injuriarum offero laudes Cherubim & Seraphim ; & cum summo mentis ardore dico verba illa die Palmarum à Judæorum pueris decantata : *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna, &c.*

*Canon.*

**A**D hæc verba : *Te igitur Clementissime Pater,* procedit JESUS meus è pratorio Pilati Crucem bajulans, & immaniter à militibus tractus usque ad eum, qui dicitur, Calvaria locum. Apprehenditur in via Simon Cyrenensis, & Crucem portat post JESUM. Ad quod quoque me resolvo. Sequitur turba multa plangentium mulierum, ad quas Dominus dicit : *Filia Jerusalem, &c. Venient dies, quibus dicent : Montes & colles cadite super nos. Si in viridi ligno hoc faciunt ; in arido quid fiet ?*

*Memento pro Vivis.*

**E**T hinc dum facio *Memento pro vivis his illis,* rogabo intensè, ut sint & maneant viridia ligna. Aliàs enim utique melius iis esset, natos non fuisse juxta emphaticum illud : *Beata steriles & ventres, qua non genuerunt.*

*Consecratio.*

**A**D verba : *Qui pridie &c.* dum hostiam arripio ; JESUS in monte Calvaria arripitur barbarè à militibus, exiit cum violentia tunica suâ [ unde sanguis copiosus tunicae, ob totum

tum sacrum corpus vulneratum agglutinarus, profuit ] collocatur in terra, affigitur Cruci.

*Elevatio.*

**S**ub *Elevatione* Hostiæ JESUS meus cum Cruce in altum elevatur, quæ in subjectam scrobem cum tanta violentia intruditur, ut totum sacratissimum corpus ideo horrendè concussum ac quassatum, manibus ac pedibus simul fissis ac laceratis, ineffabiles cruciatus sustinuerit, Adoro autem ego crucifixum meum JESUM cum summo fervore & stupore quasi extatico, ob tantam hominum crudelitatem, & Dei erga homines amorem.

Dum *Calix elevatur*, video JESUM meum copiosè è vulneribus & toto corpore sanguinem profundentem in terram, quem humillimè & devotissimè adoro, & video omnes guttas ab Angelis cum summa veneratione colligi.

*Formationes Crucum.*

**D**UM prosequor *Canonem* à verbis: *Unde memores*, & expando manus, facioque cruces varias. Video JESUM meum expansis brachiis omnes ad se invitantem. Adverto dolorem ejus augeri ob afflictam matrem, blasphemias crucifigentium secum crucifixorum & adstantium. Cruces si quinque faciam, recolo quinque sacra vulnera. Si tres, cogito tres tam diræ mortis causas esse scilicet justitiam Dei Patris, amorem Dei Filii, malitiam putidi & vilis peccatoris. Item una voluntate trium divinarum Personarum opus redemptionis peractum esse.

*Memento pro Defunctis.*

**D**Um *Memento* facio pro Defunctis, unio id orationi, quam submissè in Cruce fudit Dominus meus tribus horis, quibus orbis obvolutus tenebris. Dum autem *inclinans caput*, dico: *Per Christum Dominum nostrum*, video Christum in cruce caput inclinantem latroni converso, mihi que peccatori osculum pacis offerentem. Hinc recolens simul latronis ad Christum orationem: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*; dico cum magno animæ solatio: *Nobis quoque Peccatoribus,*

*Oratio Dominica.*

**A**D verba: *Per omnia secula seculorum*; altâ voce prolata, imaginor mihi, quòd Dominum meum post longum silentium audiam denuò loquentem, & quidem illa celebria septem verba, in quorum honorem ac memoriam septem orationis Dominicæ petitiones recito.

*Libera nos Domine.*

**A**D verba illa: *Libera nos Domine, &c.* & quòd osculum infigam patenæ, & quidem in loco, ubi signum est sanctæ Crucis, imaginor mihi plenam per Christum humani generis cum divina justitia reconciliationem, & quòd hæc pax virtute crucis coaluerit. Et quia per patenam, ut suprâ notatum est, significatur Domini mei divinitas, & hæc, sicut tempore passionis latuit, ità in cruce magis magisque paulatim denuò apparuit, & à latrone aliisque agnita est. Hinc patena ista jam quoque discooperitur, & sine involuero ad manum accipitur.

Qui-

Quiescit autem super illam manus, quia omnis crucis toleratio nititur Deo ejusque gratiâ.

In eadem oratione: *Libera nos*: dum dicendo verba hæc: *Per D. N. J. C.* hostiam divido, audio Dominum meum cum clamore valido emittentem spiritum, cogitoque animam ejus, dum hostiæ particula immittitur in calicem, descendere in limbum.

*Agnus Dei cum seqq. Orationibus.*

**A**D *Agnus Dei* audio mortuo Domino quosdam revertentes è monte Calvariæ percutere pectora sua dicendo: *Verè Filius Dei erat iste*, quod ego quoque dico. Dum orationes sequentes prosequor, Longinus Domini mei latus transfodit, è quo sanguis & aqua fluit. Ex hoc lateris vulnere teste S. August. nata est Ecclesia, ut Eva ex Adæ costa. Et hinc perappositè etiam prima oratio est pro Ecclesia.

*Domine non sum dignus.*

**D**UM dico: *Panem caelestem accipiam*, imaginor mihi, quò Christum è cruce deponam, & sacratissimum corpus ejus unâ cum Josepho Arimathæo audacter, id est postposito omni humano respectu peram & venerer. Licet per triplicem pectoris tunctionem per verba illa, ter repetita: *Domine non sum dignus*, me eo indignum profitear ob meam vilitatem, peccata, & Dei Majestatem.

*Sumptio.*

**D**UM sumo Christum, imaginor mihi eum condi in sepulchrum, Et confundor doleoque

leoque summè, quòd id novum non sit, in quo nullum adhuc cadaver, fœtens dico peccatum, jacuerit.

*Ablutio, Purificatio Calicis.*

**I**N ablutione & calicis purificatione video corpus Domini mei à piis mulieribus purgari, inungi, ablui ejus vulnera, aromatibus condiri. Et quid simile in sensu morali conabor facere. Demum dum calicem velo tegeo, id mihi significabit totam passionem esse consummatam, tempusque tristitiæ finitum. Hinc

*Postcommunio.*

**D**Um Comm. postcommunione, & ad populum elatâ voce dico: *Dominus vobiscum*, video Dominum meum gloriosè resurgentem, amcenâ ac amabili voce benedictam matrem suam, ac Discipulos salutantem dicendo: *Pax vobis, Dominus vobiscum*, & quadraginta dies cum iis conversantem.

*Ite Missa est, Benedictio Evang. S. Joannis.*

**A**D *Ite Missa est*, valedicit Christus. Ad placeat tibi *S. Trinitas*, orat pro suis ultimò. Ad *Benedicat vos*, ascendens in cælum iis benedicit; jubetque, ut se præparent ad Spiritum S. accipiendum. Ex cujus virtute toti mundo prædicaturi sint legem novam. Cujus quasi anima est *Evang. S. Joannis*, quod solet ultimò in Missa legi.

Atque hæc est representatio quasi historica Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Christi. Quæ tria maximè, ut notavi suprâ, in Missa vult recoli Ecclesia.

**F**initâ Missâ reditur ad Sacristiam. Finitâ vitâ meâ [ utinam ultimo adhuc die piè celebrem ] per virtutem passionis spero me transiturum ad æterna gaudia. Domine JESU, sicut Discipulis ascensionem tuam contemplantibus dixere Angeli, te itâ rediturum aliquando, quemadmodum ascendisti, sic te per vim infinitam Sacrificii hujus, quod semper devotè peragam, deprecor; ut in die illa tremenda ego indignissimus Sacerdos inveniam gratiam in oculis tuis. Amen.

Adolescentes alii que edoceri possunt, quomodo audientes Sacrum ad eundem ferè modum percurrere possint Passionem, Resurrectionem & Ascensionem Christi, & etiam juxta praxin sequentem se ad devotionem excitare,

§. 4tus.

### P R A X I S A L T E R A,

*Quomodo celebrans (idem mutatis mutandis observare potest Missam audiens) per mysticam explicationem Sacerdotalium vestium requisitorum ad Sacrificium Missæ, & variarum carimoniarum à celebrante observandarum ad solidam continentiamque devotionem se excitare possit. Praxis tota ab initio usque ad finem contexta est per modum orationis triplicis.*

ORA.

## ORATIO PRIMA.

*Explicat mysteria observandorum in Sacristia, & indumentorum Sacerdotalium.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus amator humani generis, supra omnem captum hominum & Angelorum, qui per Spiritum S. tuum in Conc. Trid. Sess. 21. c. 5. & Can. 7. nobis dicis habere tremendum hoc, ad quod me accingo, Sacrificium, multos eosque maxime insignes ac solennes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est, verum omnes eò spectare, ut & tanti Sacrificii Majestati magis eluceat, & salubribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum, contemplationem excitent fideles. Da gratiam, ut juxta illud Exod. 12. observabitis caerimonias. Imprimis omnes rubricas ante in & post Sacrum accuratè observem. Dein ad omnes caerimonias, quæ varias virtutes ac mysteria indicant, vivacem ejusmodi reflexionem habeam. Ut opus illud (quod indies perago, ad quod totâ vitâ meâ me satis præparare non possem; quodque nobilissimum est inter omnia, quæ peragere possum; & omnem Angelicam transcendit sublimitatem) aliquomodo condignè, & sanctissimæ tuæ voluntati conformiter conficiam.

*Lotio Mannum.*

**I**N hunc finem, ut quidquid possum à mea parte, contribuam, memor illius Exod. 3.

D 2

*Solve*

*Solve calceamentum de pedibus tuis* ( omnes affectus malos ac inordinatos exue ) *locus enim sanctus est*, Sacristiam intrans, imaginabor mihi, eam cœnaculum esse, in quo Sacramentum Eucharistiæ instituísti. Et quia tu ibidem præviè accepto linteo præcinxisti te, & mitsâ in pelvim aquâ cœpisti lavare pedes Discipulorum & extergere. Præcingam me ferventi contritionis actu, eoque lavans ac extergens animam meam ab omni peccati luto ( juxta illud I. Cor. II. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat* ) ne judicium mihi manducem & bibam, sed ut partem tecum habeam, dicam eodem fervore & intentione [ quâ Petrus dixit : *Non tantum pedes, sed & manus & caput* ) *da Domine virtutem manibus meis ad abstergendum omnem maculam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire.*

Dum lotis manibus paro me ad induendum vestes sacras, occurret illud Pauli : *Induimini D. N. J. C. viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, expoliantes veterem hominem cum artibus suis, & induentes novum.*

*Amictus ab amiciendo dicitur. Olim etiam dicebatur anabolagium.*

**D**Um amictum induo, recordabor primò mihi Domine, quòd divinitas tua veste humanitatis tecta sit. 2dò. Veli, quo benedictam faciem tuam velarunt in domo Caiphæ impii Judæi. Quòd rubricis conformiter super caput imponam radendo quasi coronam, eò quòd

quòd absit mihi gloriari nisi in ignominia & cruce tua.

Oratio. [*Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursum*] excitabit in me spem & fiduciam ad temperandam pusillanimitatem, quam adfert timor & reverentia tanti Sacrificii peragendi. Cujus tempore Angeli profundissimo cultu te adorant, & Dæmones contremiscunt, nec satis mirari possunt Sacerdotem in peccato, sine reverentia, debitâ præparatione, ex frigida consuetudine Altare accedentem. Quia autem spes ita divinæ innititur misericordiæ, ut nostris exhibitis obsequiis valdè confortetur. Hinc amictum super humeros pono ad significandam teste Hug. à S. Viçt. fortitudinem bonorum operum, quibus me munire debeo, ut spes firma sit, & eam in me diffidentiam & pusillanimitatem tollat in consecrando, sumendo te Deum infinitæ potentiæ ac Majestatis, quæ aliàs Sacrificii fructum impedire posset. Nam cum misericordia sit super omnia opera tua Domine, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad te, & quidquid petierimus, à te accipiemus.* 1. Joan. 2.

*Alba à Greg. Nazianz. poderis dicta, quòd ad pedes dimitteretur, ab aliis linea canisfa*

*Sacerdotalis.*

**D**Um Albam induo, recordabor vestis albæ, in qua Herodes tibi ô sapientia æterni Patris tit fatuo illudit. Per quod utique à Patre æterno promeritus es, ut in cælo *vesti-*

*menta*

*menta tua sint alba sicut nix.* Quod me quoque animare debet ad confusionem quaecumque tolerandam à stupido hoc mundo veram nesciente sapientiam. Qui ad suas vanas interrogaciones & illusiones ne responsum quidem meretur, sicut tu Herodi nil respondisti.

Oratio (*Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis*) innocentiam & vitæ puritatem designat, quæ vestis debet esse Sacerdotum. Sicut autem Alba non nisi multis lotionibus & percussionibus ad suum pervenit candorem, ita animæ candor laboriosis utique acquiritur mortificationibus ac pœnitentiis. Et in hoc sensu lavare oportet Sacerdotes *stolas suas, & dealbare illas in sanguine agni.* Apoc. 7. Hunc in finem tuam exoptulo gratiam Domine ferventis maxime caritatis. Cùm Apoc. 3. mihi inclames: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris.*

*Cingulum, Manipulus, aliàs Sudarium, brachiale, mantile dictum, Stola in Ordine Romano dicitur Orarium ita ab Oratore dictum, quia Oratorum & Predicatorum habitus est. Et hinc tantum datur Presbyteris & Diaconis, quorum tantum munus est concionari. Erat etiam olim vestis candida pertingens ad talos.*

*Nunc inducta Albâ mutata est in torquem.*

**D**Um Cingulum, Manipulum & stolam arripio, occurrent animo funes & catenæ, qui-

quibus tu mi JESU circa corpus, brachia, collum ligatus ex horto Gethsemani ab uno ad aliud tribunal, & ad Calvariaë montem tractus tam immaniter & raptatus fuisti.

Oratio [*Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiaë & castitatis*] utique me admonet hujus Angelicæ, mihiq̃ ante omnia necessariaë virtutis per continuam carnis edomationem cum tua gratia acquirendæ.

Oratio (*Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*) inculcat tristitiam & dolorem de peccatis propriis & alienis cum sancta indignatione & ferventi desiderio eliminandi omnia honori & amoris Dei adversantia. Manipulum NB. olim Sacerdotes alligabant ad sinistrum brachium ad abstergendas devotionis lacrymas; quas tempore Sacrificii profundeabant. Ah quam sanguineis deplorandum est lacrymis, quòd lacrymæ tam piæ modò raræ sint. Ah mi JESU, qui sanguineis hanc ipsam nostram sordidiam lacrymis in horto & cruce deplorasti. Si donum lacrymarum ob peccata mea ego non merear, saltem dum crucis signum supra manipulum exosculor, eumque sinistro impono brachio. Dic cum efficacia & motu singulari interno animæ meæ illud Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus amulatio.*

Oratio (*Redde mihi Domine stolam immortalitatis*)

tis, quam perdidisti in prevaricatione primi parentis, & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum) Obedientiæ me admonet Domine legi tuæ adhibendæ. Et hinc, ne semel in gratiam tuam receptus denuò recalcitrem, lex tua erit juxta illud Prov. 1. *Tanquam pretiosus torques collo meo imposita.* Et eo quoque sine stolam ab utraque parte opponam pectori, ut legem tuam semper ante oculos habeam juxta illud Deut. 6. *Verba legis ligabis quasi signum in manu tua, & movebuntur ante oculos tuos.*

*Casula etiam dicitur penula, tunica, cappa, planeta. Olim tota clausa erat, post tempora Ruperti divisa est.*

**D**Um Casulam induo, recordabor purpurei indumenti tui in domo Pilati, & tunicæ illius inconsutilis, quæ tecum quasi crevit, & à benedicta matre tua facta tibi primum tanquam puerulo imposita est, in qua & crucem portasti, & cum singulari providentia caveris; ne sub Cruce illa scinderetur. Symbolum utique est caritatis non ferentis scissionem, quæ est vestis nuptialis. Matth. 22.

Oratio [ *Domine, qui dixisti, iugum meum suave est, & onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quòd consequar tuam gratiam; Amen.* ] Suum effectum habeat per caritatem. Da amor æterne, ut illâ velut vestimento per totum indutus mihi & aliis benedictionem tuam impetrem, & quidem in virtute Crucis tuæ, cujus figuram ideo in casula porto. Hæc sunt  
mi

mi Domine, quæ breviter, dum me induo, antecedenter autem sæpè paulò fusiùs ad excitandum in me fervorem ac devotionem debitam, ruminabõ.

*Byretum corona.*

**D**Um Byretum capiti impono, reminiscar spineæ coronæ tuæ, & ingentis ideo tibi inflicti cruciatûs. Cogitabo etiam memoriale hujus coronæ esse eam, quæ in vertice mihi rarsa est, circularem figuram. Quæ cum præterea index sit regię dignitatis, quâ Sacerdos præfulget, & simul perfectionis huic statui congruentis, hinc altè cordi meo hærebit infixum illud ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, & non obediatis concupiscentiis ejus.* Ne ex mitissimo JESU, qui fecit nos regnum (quod per verba consecrationis ipsi dominatur Deo) & Sacerdotes Deo & Patri suo. Apoc. 1. Fias mihi irreconciliabilis per totam æternitatem Judex Sacerdotes damnatos præ aliis magis cruciaturus.

*Abitus ex Sacristia.*

**D**Um Byretum indutus profundam imagini crucifixi facio reverentiam è Sacristia ad Altare abiturus. Petam à te mi Domine liberationem à distractionibus, & primum hoc in toto mundo opus sanè non deproperabo memor illius Is. 61. *Ego Dominus odio habens rapinam* (utique etiam furto debiti temporis patribilem) *in holocausto.* Universim quoad Sacerdotalia indumenta reflexionem meretur memoranda Carnotensis sententia: *Ornamenta hac*

non sunt virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam Scripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Et hinc Innoc. III. benè monet: *Provideat ergo diligenter Episcopus* ( quia plura hujus indumenta majoris quoque in eo requisitæ perfectionis sunt signa ) *& attendat Sacerdos studiosè, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet, nè fortè sit similis sepulchro de foris dealbato, intus autem omnia plena spurcitie. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam jam honor non commendet vestium, sed splendor animarum.*

## ORATIO SECUNDA.

*Explicans requisita ad Sacrificium.*

*Altare quasi alta Ara.*

**R**equisita ad tremendum hoc Sacrificium dum percurro, eorum simul significacionem in ordine ad congruos eliciendos affectus mente volvam. Atque cum primis Altare designabit mihi mensam Domine, in qua ultimam habuisti Cœnam, Item Calvarix montem, in quo cœuentum peregisti Sacrificium. Demum ob conjunctos cœmento lapides Ecclesiam tuam in unum coadunatam.

Sacer-

*Sacerdos, Ministri, Mappa, Crucifixi Imago.*

**S**acerdos te, Minister populum fidelem menti  
Objiciet. Mappæ Altaris tres ingerent ani-  
mo linteamina, quibus sacrum corpus tuum  
involutum fuit in sepulchro. Crucifixi imago  
refricabit crucifixionis tuæ, & trophæi per cru-  
cem à te reportari memoriam.

*Pulvinar, Missale.*

**P**ulvinar significabit cor devotum, in quo tu  
Domine & sancta doctrina tua requiescit,  
Missale indicabit librum, quem tu Agne Dei  
scriptum intus & foris aperuisse narraris Apoc.  
5. scilicet librum vitæ & prædestinatorum.  
Qui celo ocluso aperiri non poterat nisi  
per mortem tuam. Et quia ibid. dicitur,  
quod Agnus librum aperuit, & apparuit leo,  
recordabor diei illius tremendi, in quo sicut  
Agnus beatis, ita ut leo apparebis reprobis.  
*Dum liber scriptus proferetur, in quo totum con-  
suetur, unde mundus judicetur.*

*Luminaria.*

**L**uminaria, quæ adhibenda sunt saltem duo  
(præterquam quòd duos Evangelii prodro-  
mos significant legem & Prophetas) docebunt  
per te mi Christe Judæos & Gentiles illumina-  
tos esse, teque venisse in hunc mundum, ut  
eum non tantum illumines, sed & sacro amore  
accendas juxta illud: *Ignem veni mittere in ter-  
ram, & quid volo, nisi ut accendatur.*

*Calix.*

**C**alix consecratus significabit mihi sepulchrum tuum. Et tam benè stimulabit me ad amaritudinem passionis tuæ jugiter degustandam; quam ad te in adversis crucibus imitandum; recordando calicis ab Angelo in hortu tibi præsentati, & dicti tui: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

*Purificatorium.*

**P**urificatorium ad extergendum calicem feruens docebit multò magis animam meam ante, & per virtutem hujus Sacrificii extergendam esse genuinæ contritionis actibus. Sicut à piis mulieribus sacrum corpus & vulnera tua sacrosancta per linteamina extersa sunt, antequam in sepulchrum condereris.

*Patena, Palla, Velum.*

**P**atena consecrata (cùm calix, cui imponitur, sepulchrum tuum repræsentet) Domine mihi offerret lapidem sepulchrælem, Palla benedicta tegumentum sepulchri. Velum templi velum scissum in morte tua, vel etiam id, quod S. Veronica tibi objecit, in quo benedicta facies tua expressa dicitur, repræsentabit.

*Corporale.*

**C**orporale autem, quod ità nuncupatur, quia in sacra hostia sacrosanctum corpus tuum super id in Altari ponitur, Syndonem mihi objiciet, quâ post mortem id involutum fuit, vel etiam dulcissimas illas fascias, quibus in præsepi & aliis te involvit benedicta mater tua. In cujus tenerrimi affectus unione omnem, quem

quem in me erga te amorem sentio, tibi demissimè offero.

*Urceoli, Panis, Vinum.*

**U**Rceolus aquæ, quod Pilatus aquâ manuum laverit, urceolus vini, quod vinum tibi myrrhatum in Cruce propinatum fuerit, species in me devotas excitabit. Et quia scio per modicam aquæ guttam ex urceolo vino in calice miscendam significari naturam humanam, per vinum verò divinam humanæ junctam. Hinc devotè denuò stupendum Incarnationis mysterium venerabor.

Demum panis & vinum transubstantianda in corpus & sanguinem tuum solidam, & radices profundas in corde meo agentem excitabunt reflexionem, & ad amarâ passionem tuam, & omnium fidelium in & per te unionem. Tu enim verum frumentum Electorum, ut animæ nostræ alimentum esses, falce mortis abscissus, Crucis ligno & clavis triturratus, innumeris persecutionibus in diversis tribunalibus cribratus, flagellis tanquam molâ contritus, demum in furno immensorum laborum excoctus venis de sede gloriæ tuæ sub specie panis ad nos alendos, & sub specie vini ad nos potandos, priùs calcatus ab inimicis, pressus in torculari crucis adeò, ut omni expressâ guttâ sanguinis aqua tandem è S. latere tuo profluxerit. Et cum panis & vinum proveniant ex unione multorum granorum à vili & crassiore substantia separatorum, valdè aptè referent unionem fidelium Ecclesiæ unâ fide & corde uno conven-

nientium ad hoc divinum Sacrificium conferendum juxta illud 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, participatio Corporis Domini est; & qui de uno pane participamus, unum corpus sumus.*

### ORATIO TERTIA.

*Explicans varias caerimonias à Sacerdote observandas.  
Explicatio sitûs, mutationis loci, Sacerdotis in Altari.*

**I**Tus ad Altare inchoationem utriusque Sacrificii cruenti & incruenti designat. Descensus Sacerdotis ab Altari lapsum humani generis per Adam; & tuum mi Deus descensum de caelo, humiliationemque, dum homo factus es, indicat. Ascensus ad Altare humani generis per te reparationem tuamque significat glorificationem. Statio in Altaris medio, quod tu sis mediator primarius, & Sacerdos personam tuam gerens secundarius Mediator sit patrem inter tuum & homines. Transitus à cornu Epistolæ ad latus Evangelii tuum significat Domine à vita privata ad publicam transitum. Et cum etiam latus Evangelii gentes, ad quas illuminandas venisti, & latus Epistolæ Judæos, quibus primò prædicasti, significet. Transitus quoque iste Sacerdotis à cornu Epistolæ ad latus Evangelii transitum tuum à Judæis ad Gentes designat juxta

juxta illud Apost. *Vobis primum oportebat evangelizare, &c. Ex hoc convertimur ad gentes.* Sed quòd in fine Missæ post velatum calicem redeatur ad latus Epistolæ; indicat, quòd in fine mundi Evangelica veritas ipsis tempore promissi Messæ oblata, & à maxima eorum parte repudiata, reditura sit ad Judæos tunc convertendos. Quòd autem Sacerdos in medio Altaris stans ante prælectionem Evangelii submisso corpore priùs oret. Per id utique intelligitur, quomodo ante prædicationem Evangelii tu ô Domine te quali præpararis per baptismum, jejunium; & multas humiliations ac orationes prævias, & priùs pro tanto opere perficiendo volueris à Patre tuo æterno approbari his verbis: *Hic est Filius meus dilectus, &c. ipsum audite.* Quæ omnia abundè me docent, quid mihi observandum, si cum fructu verbum tuum annunciare velim. Porrò nec sine mysterio est, quòd versùs aquilonem legatur Evangelium (in Altari scilicet ad orientem posito secundùm communem praxin) nam per eum (juxta illud Script. *Ab Aquilone pandetur omne malum, unde Antichristus veniet*) principatus Diaboli significatur. Hic autem sicut à Christi temporibus usque huc plurimùm per Evangelium imminutus est, ità tandem circa finem mundi planè destruetur.

Quòd dicto ad populum *Dominus vobiscum* ab eodem latere se subito vertat Sacerdos ad Altare, signum est, quòd, postquam cum populo nomine Dei locutus est, statim iterum sine inter-

intermissione nomine suo & populi cum Deo loquatur. Quod autem circulum faciat dicendo: *Orate Fratres, & Ite Missa est.* Prioris signum est, ab omni parte, ab omnibus orandum esse. Posterioris Sacrificium, quod persolutum esse Sacerdos enuntiat, omnibus commune esse, cum pro omnibus mortuus sis mi Domine, & Evangelium tuum toti mundo prædicari debeat.

Demum post finem Missæ abitus Sacerdotis ad Sacristiam significat aditum, postquam everso mundo cessabit hostia & Sacrificium, electorum ad sempiternam gloriam. Huc me post tot lectas Missas duc Domine JESU Christe, Ubi non in ænigmate, sed facie ad faciem te videbo.

*Explicantur inclinationes & oscula, quæ Altari, libro & patena insignantur.*

**I**nclinationes in Missa faciendæ omnes in genere significabunt mihi obedientiam & humilitatem tuam Domine, & quantam ego devotionem, reverentiam ostendere debeam in Sacrificio offerendo, & toties quoties caput totumque corpus in obsequium fidei devovere debeam. Præterea cum humeri, corpus & genua tua sacrosancta in oratione in orto, sub coronatione, flagellatione, Crucis bajulatione, caput verò benedictum tuum in Cruce inclinatum sit. Inclinationes ejusmodi specificæ scilicet capitis, humerorum, genuum me pariter devotè

devotè istarum tuarum inclinationum reminisci  
facient.

Oscula, quæ Altari & patenæ infiguntur à  
Sacerdote, factam per te mi Christe hominem  
inter & Deum reconciliationem, totum spiritu-  
ale cum Ecclesia connubium, debitam inter fi-  
deles in terris, & perfectam Beatorum in cælo  
cum Deo & inter se unionem mihi significant.  
Inter oscula sive Altaris sive patenæ detestabor  
etiã osculum Judæ & ejus sequacium. Ho-  
norabo etiã per ea sacrum Altare tuum, in  
cujus medio infra Mappas conditæ sunt Sancto-  
rum reliquiæ, & supra in corporali tu in sacra  
hostia delitescis. Et cum per oscula excitetur  
& crescat dormituriens amor, iis ego langu-  
idum cor meum inflammare conabor, & meis  
te plenè fruendi desideriis unam inflammata illa  
oscula, quæ tibi tot millenis vicibus à nativita-  
tis tuæ tempore infixit benedicta Mater tua,  
quam in Cruce moriens & mihi dignatus es dare  
in Matrem. Demum, dum post lectum Evan-  
gelium ejus initium in libro exosculor, cogita-  
bo à verbo tuo venire pacem, & devoto hoc  
osculo sacræ doctrinæ tuæ cor meum penitus  
affigam.

*Quid sibi velit alta submissa vox Sacerdotis, &  
oculorum elevatio ac demissio.*

**D**um orationes mox submissâ mox altâ voce  
recitat Sacerdos, recordabor Christe cru-  
cifixe, te in Cruce tum submissè, dum te-  
nebræ

nebræ per tres horas obruerunt terram, tum altè locutum esse pronuntiando benedicta & emphatica illa septem verba, & in unione orationis tuæ & meam exilem offeram Patri tuo.

Oculorum Sacerdotis elevatio eriget mentem meam & spem in Deum, augebit desiderium cæli & contemptum mundi, docebitque omne donum de sursum descendere à Patre luminum. Oculorum Sacerdotis demissio humilitatem, & vilitatis meæ agnitionem inculcabit, recordari etiam faciet, quomodo in tota vita tua & in passione tua sæpè oculos tuos amabiles in cælum elevaris, sæpè in terram & in Cruce etiam obinclinatum sacrosanctum caput tuum defixeris. Utinam non aliter, quàm purâ intentione, & in tuorum infinitorum meritorum unione ego oculos meos unquam elevem aut deprimam. Scio Domine voluntatem tuam esse, ut oculos deprimendo aspiciam omnes creaturas, adversa prospera, &c. ut media ad finem meum ultimum, elevando verò hunc finem ardentè concupiscam. Fiat Domine, fiat.

*Quid sibi velit expansio, elevatio brachiorum & manuum Sacerdotis. Extensio & junctio manuum.*

**D**Um brachia expandit versùs Altare Sacerdos, cogitabo Domine tuas in Cruce expansas manus esse ad amplectendum quemcunque peccatorem. Item quòd omnia ad te trahas exaltatus à terra, & tua pro nobis vul-

vulnera idēdidem expansis manibus æterno Patri tuo & justitiæ infinitæ divinæ præsentēs. Et quia & in particulari iudicio juxta piorum variorumque Doctorum mentem expansis manibus in forma crucifixi cuilibet, antequam pro tribunali sedēas, es appariturus, aut saltem ideam hanc cuilibet iudicandæ animæ impressurus. Debeo gratiæ tuæ cooperari, ut expansas ad me amplexandum manus retineas, nec me unquam repellas. Dum brachia expandit Sacerdos versùs populum, cogitabo, quòd ipse in persona tua populo velut pectus caritatis pandat, vota precesque colligat, & expansas manus statim jungendo eas acceptet, & tibi Patrique æterno præsentet.

Dum elevat Sacerdos brachium altiùs, cogitabo id fieri; ut magis & pro se & populo exaudiatur. Et Ecclesia sancta tua Domine illud Thren. 4. nobis inculcet: *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in calos.* Et sic levabo cor meum maximè, dum Sacerdos consecratam hostiam & calicem elevat. Quia sic tu Domine quasi levaris in aera, & præsentaris æterno Patri ut victima, ob quam is nil denegabit. Memor etiam tunc specialiter ero, quòd benedicta Mater tua te puerulum mox elevarit, mox in cunas reposuerit.

Dum manus extendit Sacerdos versùs Altare, facit id ut Legatus Deum inter & homines. Quòd autem manus extensæ se invicem respiciant, per id significatur amor mutuus, sine quo nulla potest esse efficax oratio. Porro in  
exten-

extensione manuum supremitas digitorum debet esse in cælum directa ; ut discam mi Domine debere quoque animum meum in cælum directum esse.

Per junctionem manuum Sacerdotis ; quæ semper ante quamlibet benedictionem fit ; significatur mihi ; virtutem omnem benedictionis provenire à divina & humana natura conjunctis in persona tua ò fili æternæ ; ab unione nostra tecum ; & cum proximo ; quia hæc est omnis lex & Prophetæ. Hanc triplicem unionem mihi ; ut in æternum evenire velis ; junctis suppliciter oro manibus.

*Quid lotio manuum & pectoris percussio.*

Cum extremitates digitorum lavat Sacerdos ; nolit id in speciem ad exemplum Pilati facere & Pharisæorum ; quales pro dolor etiam sunt inter Christianos ; utinam non Sacerdotes. Spero mi Deus in veritate me profiteri posse ( interim non scit homo ; an odio vel amore dignus ; & de propitiato peccato non debet esse sine metu ) quod à gravioribus peccatis liber sim ; & ideo extremitates digitorum lavem. Quod desiderium verum habeam etiam à levioribus culpis me purificandi ; si in quam fors etiam post Missam inchoatam lapsus essem.

Dum manu percutit Sacerdos pectus dicens *Agnus Dei* : rogo te mi Domine ; ut tollas peccata mea ; & pacem mihi des tecum in æternum. *Ad Domine non sum dignus* ter percutiendo pectus protestor me indignum esse sumptione S. Corporis tui. 1. Ob meam nihilitatem. 2. Ob

Ob peccata quæ me infra abyssum nihilitatis demergunt. 3, Ob tuam infinitam Majestatem.

*Quid positio manus super Altare librum, unius super patenam, & alterius super librum.*

**D**um junctas manus in aere levatas tenet, & incurvatus super Altare eas ponit Sacerdos in initio præfationis vel aliàs. Signum est, quòd omnes alias curas velit seponere totus cælestibus occupatus. Dum autem legendo Epistolam manum supra librum ponit. Cogitabo non sufficere verbum Dei legere, sed manus ad opus applicandas esse. Dum una manus requiescit super librum, & altera super patenam, supra quam immediatè post Sacerdos positurus est hostiam. Cogitabo veri Sacerdotis unicam & occupationem & solatium esse debere verbum Dei, & divinissimum hoc Sacramentum.

*Quid Benedictiones, & signa Crucis, qua fiunt manibus.*

**B**enedictiones fiunt vel imponendo manus, vel formando manibus Crucem. Priori tantum modo fiebant in antiqua lege, quia de Cruce & Benedictione per eam in mundum venturâ nil nisi obscurè aliquid sciebatur. Unicum habemus exemplum in Jacobo nepotibus suis Josephi filijs Manasse & Ephraim benedicente manibus decussatis in modum Crucis, dextram imponendo capiti Ephraim stantis ad sinistram, & lævam capiti Manasses stantis ad dextram Jacobi. *Allegoricè enim per manus*  
Jacob

Jacob ità decussatas intelligitur Crux Christi, & per Ephraim natuminorem populus gentilis, qui majori natu populo Judaico per Manassen designato præpositus fuit in nova lege. Jam, Sacrum quod attinet sive Missam, in ea fiunt benedictiones impositione manuum super oblata in Canone ad hæc verba: *Hanc igitur oblationem* in honorem & memoriam tui Domine imponentis manus ægris, energumenis, Apostolis. Fiunt etiam benedictiones & crebriores quidem formando manibus Crucem, quia benedictio omnis vim & efficaciam habet à te Jesu Christe crucifixe. Cruce præterea signatur à sacerdote Evangelium, quia id in Crucis virtute prædicatur. Signat se Cruce Sacerdos & populus, ne Dæmon bonum semen verbi divini de corde tollat. Signamus item nos Cruce *in fronte & ore* ad ostendendum; quòd non erubescamus tuum Evangelium ore prædicare, *in pectore*, quòd id conservare velimus in corde. Dat benedictionem populo Crucis formatione Sacerdos, memor id te fecisse Apostolis ac Discipulis tuis sub tuum in cælos è monte Oliveti ascensum. Et quia formationes Crucis super oblata vel ipsas sacras species fiunt vel semel, vel ter, vel quinquies. Venerabor in una Crucis formatione essentia divina unitatem, trinâ tres sanctissimas in divinitate personas. Quintuplici tua mi Jesu sanctissima quinque vulnera, per quæ omnem & in hac & altera vita benedictionem expecto.

NB. Quæ in binis his ultimis §. §. allata sunt, utique

utique non unâ vice, dum legis vel audis Sacrum, ruminanda sunt; quia sic confundetur memoria, maximè cum ante omnia attendendum sit ad ea, quæ Missæ tempore legenda, oranda, agenda habes. Sed servantur pro varietate, ut mox hâc mox alterâ praxi devotionem augere, & distractiones impedire possis. In quem finem sicut & ad majorem rerum notitiam, quam decet hac in materia Sacerdotem & fideles saltem ad intelligenda sacra mysteria capaciores habere, servit quoque Appendix hîc annexa, in qua brevitati perspicuæ minimeque obscuræ consulens scitu digniora & utiliora duntaxat perstringo.

§. 5tus.

*Appendix ex Gavanti commentario in rubricas  
Missalis divisâ in octodecim numeros.*

1. *Vox rubrica.*

**R**ubrica à rubro colore dicta, quâ solebant antiqui librorum titulos, capita, indices, & præsertim titulos ac inscriptiones legum notare. Hinc juvenalis Satyra 14ta *perlege rubras Majorum leges.* Ideo ergo leges in ordine ad celebrandam Missam in Missali præscriptæ, & rubeo colore in titulos & capita divisæ, rubricæ appellantur. Vox tamen ipsa in Missalibus ante Pium V. non invenitur.

## 2. De voce Missalis &amp; Missa.

**M**issalis saltem in tantum autor est S. Greg, Papa, quod & vocabuli autor sit, & Missale in meliorem formam redegerit. Cæterum S. Clemens, sicut à S. Petro accepit Missam [ quibusdam exceptis postea additis vel mutatis ] ita Romanæ Ecclesiæ in scripto consignasse dicitur. Vocabatur autem *Missale* olim *Sacramentale*. A S. Hieron. *Liber mysteriorum*. A Conc. Rhem. *Liber Sacramentorum*. Porro Missale à Missa dicitur, quæ vox latina antiquissima à vulgò videtur introducta. Teste Baron. à Jacobo Apostolo usurpata est vox hebræa *Missah*, id est *spontanea oblatio*. Hinc fors etiam in tantum ab Hebræis originem aliquam habet. Græci *Missam* vocant *Liturgiam*, hoc est, *publicum opus*, vel *energiam sacrum opus*, vel *mystagogiam summum ministerium*, vel *Phosphoron oblationem*, vel *Thysian Sacrificium*, vel *Teletin mysterium*. Si hebræa vox *Missah* non dedit occasionem latinis vocis *Missa*. Latinè vox ea significabit missionem precum populi per Sacerdotem ad Deum, vel etiam Christi à Patre æterno ad nos missi, & ejusdem in Missa oblatis & quasi remissi à nobis ad Deum Patrem tanquam Mediatoris Deum inter & homines. Quia autem Missæ intersumus tanquam fontes alicui judicio, Canon Missæ *actio* dicitur, id est causa in judicium adducta à Sacerdote tanquam Advocato & Vicario Christi. Et sicut peracto judicio dimittuntur rei absoluti, ita & Sacerdos di-

dimittit populum dicendo : *Ite, Missa est*, vel *judicium est peractum*, & vos si dignè adstiteritis, absoluti. Et hinc subjungit : *Benedicatur vos &c.* Primam Missam celebrâsse putatur S. Petrus in die Pentecostes ; quia eo die Hebræi juxta Cap. 16. Deuteron. offerebant oblationem spontaneam *Missab.*, quæ erat tritici. Eandem ergò Petrus obtulit in pane azymo in cœnaculo Sion. V. Gav. Tit. 1. de Rubr. Gen.

3. *Partes Missæ.*

Si theologicè velimus loqui juxta communio-  
rem *actio sacrificativa*, sive *essentia Sacrificii*  
*Missæ* est sola consecratio, quia hæc sola est actio  
Christi, quam etiam ideo profert Sacerdos in  
persona Christi dicentis : *Hoc est Corpus meum,*  
*&c.* & in illa sola salvatur : quidquid ad sacri-  
ficationem requiritur. Et ideo etiam die Ve-  
neris Sancto propriè non offertur Sacrificium.  
Rationem dat S. Thom. quia cùm eo die Chri-  
stus ipse realiter & visibiliter obtulerit Crucis  
Sacrificium ; non congruebat eo die fieri ejus  
imaginem per Ministros. Maximè cùm tem-  
pus ipsum ejus recordationem satis ingereret.  
Aliam congruentiam addit Suar. ne Christus in-  
ducatur vivens & loquens illo die, quo pri-  
mùm mortuus recolitur. Quando autem cele-  
brans die Veneris Sancto dicit : *Sic fiat Sacrifi-  
cium nostrum in conspectu tuo hodie.* *to Sacrifi-  
cium sumitur pro re significata*, quæ est Christus  
tunc sumendus. *Pars substantialis* Missæ est  
sumptio. *Partes principales sunt Canon*, qui in-  
cipit

cipit statim post *Sanctus* usque ad *Pater noster*. Item utraque oblatio & Evangelium. Partes ordinariae sunt, quae communiter sunt in omni Missa. Non ordinariae sunt *Gloria*, *Credo*, plures *Epistola*, plures *Collectae*. Haec enim non sunt in omni Missa. V. la Croix l. 6. p. 2. à n. 12.

4. *Quomodo Missa in presentem modum coalita*,  
**P**artes Missae ordinant S. Petrus & Apostolus ab initio duae tantum fuerunt scilicet consecratio cum verbis propriis, sumptio sacrificantis, & oratio Dominica. Crescente cultu religionis Christianae adjecta sunt alia, quae visa sunt decentius convenire. Ab initio vero ingruentibus undique persecutionibus non erat tutum moram longam trahere in Sacrificio. V. in Gav. p. 2. tit. XV. quomodo Missa paulatim coaluerit ex additione Apostolorum, eorumque Successorum. Graecorum Missa semper longior fuit, & adhuc est quam latina, quae tempore S. Augustini adhuc longior erat quam hodie, & ob querimoniam populorum brevior facta est, ut colligitur ex eodem Aug. Romana Missa brevior est, quam Ambrosiana; quia Mediolanenses praevis Graecorum vestigiis firmiter inhaerent. V. in Gav. p. 2. tit. 17. verba difficilius intelligentiae in Canone explicata. Quae frustra irrident Haeretici totam sanctam antiquitatem, & totum aecumenicum Concilium & SS. PP. omnibus Graecis ac Latinis blasphemia eorum ora obstruentibus,

§. *Notabilia de rubricis in Adventu, de 4. temporibus & Nativitate Domini.*

**M**issarum ordo in Missali incipit ab *Adventu*, tres autem adventus Domini contemplatur Ecclesia. *Primus* est, quando venit, ut homo fieret. *Secundus* in fine vitæ cujusque nostrum in judicio particulari. *Tertius* erit in fine mundi. Quia *primus* gaudiosus, *secundus* & *tertius* pro Electis graciosus, pro reprobis terribilis. Gaudium inter & luctum, metum inter & fiduciam collocari nos vult Mater nostra Ecclesia. Et hinc in Missis in adventu partim læticiam ingerit, & in Graduali (exceptis Feriis 4. temporum) *Alleluja* occinit, partim mœtorem inculcat. Hinc tacetur Hymnus Angelicus. Omnes autem Feriæ Adventûs sunt quasi Vigiliæ summæ festivitatis Natalis Domini. Gav. l. 2. tit. 2. docet à S. Petro usque ad Simplicium Papam tantum in Sabbatho 4. temporum Adventûs fuisse factas ordinationes. Gelasius autem dicitur primò extendisse ordinationes ad alia tria tempora. Porrò si 4tuor tempora, ut docet S. Leo, ab Apostolis fuere tradita, saltem Calistus decreto suo firmavit usum. Sicut autem sunt quatuor anni partes, ità in iisdem per jejunium fit animæ purgatio, hyeme, vere, æstate, autumno. Et sicut quælibet anni pars tres menses habet, ità & ad ratam trium mensium tres jejunii dies in hebdomada instituti sunt. *Feria 4ta*, in qua factum est Consilium contra Christum. *Feria 6ta*, in qua crucifixus. Sabbatho,

*batho*, in quo Christus sepultus, & ingens Apostolorum mœror fuit ob Christum mortuum. Quæ in horto Christo agonizanti & capto contigere Feriâ quintâ sub noctem, referuntur ad Fer. 6tam. Ipsa Feria quinta semper à nobis festivè potiùs celebranda est ob institutam die illo à Christo Cœnam Eucharisticam & Ascensionem ejus in cælum.

Tres Missæ celebrantur in festo Nativitatis Domini in signum, quòd Christus natus sit in salutem omnium, qui in lege naturæ scripta, & in lege gratiæ fuerunt, sunt & erunt.

6. De quadragesimali jejunio, & Missa Feriæ  
4te Dom. 4. in Quadrag.

Quadragesimæ (Vide Gav. l. c. tit. 5.) ritus est ab Apostolis. Tres causæ adferantur Quadragesimalis jejunii. 1. Ut quadragenarius jejunii numerus ab Elia, Moyse, & demum à Christo expletus, & à nobis impleatur, & tempore hoc Christo patienti re ipsâ compatiatur, 2. Ut verno tempore libido concitata faciliùs reprimatur. 3. Ut, sicut Hebræi post 40. annorum captivitatem in Judæam reduces celebrârunt Pascha, ita & nos Christiani peracto 4dragesimali jejunio & corporis mortificatione lætum quoque celebremus Pascha seu festivam resurrectionem Salvatoris. Quia autem demptis Dominicis Quadragesimæ supersunt tantum 36. dies jejunii, ut quadragenarius numerus exactè impleretur, juxta Baron, tempore Caroli M. & Stephani Papæ (alii priùs id practi-  
carum

catum esse dicunt) additi fuere dies jejunii quatuor à Feria 4. Cinerum. Sicut & ob eandem causam, qui in Cœna Domini & Sabbatho Sancto non jejunabant, cœpere jejunium quadragesimale à Quinquagesima & à Sexagesima; qui Feriis item quintis singulis non jejunabant; & demum à Septuagesima, qui simul Sabbathis non jejunabant.

De Missâ Feriæ 4tæ (vide Gav. l. c. Tit. 6.) Dominicæ 4tæ in Quadragesima ob insertas ei duas lectiones [ quæ Feriis quartis in 4. temporibus tantum multiplicantur ] meretur observari. Quod die illo olim fiebat scrutinium baptizandorum in Paschate; & inter septem per annum scrutinia hoc erat maximum. Ità ordo Rom. scrutinium quidem hoc jam non est amplius in usu. Missa tamen mansit eadem, in qua Catechumenis dicitur in introitu: *Effundam super vos aquam mundam.* Idem repetitur in prima Epistola; & in secunda dicitur *Lavami.* Et in Evang. cœcus natus, nondum loquens, repræsentat Catechumenum teste S. Aug. Feria 4. majoris hebdomadæ etiam quidem habentur in Missa duæ lectiones; sed hoc fit ob ordinationes futuras Sabbatho Sancto.

7. *De Dominica Passionis & Palmarum.*

**A**nte Dominicam Passionis fuit habitum consilium à Judæis de occidendo Christo. Ideo mœstitia major convenit in Ecclesiasticis officiis. Hinc etiam in introitu Missæ non dicitur *Gloria Patri*, Psalmus *Judica.* Et in primis

mis vespertis velantur Cruces in signum; quia jam non in palam ambulabat apud Judæos Christus, sed se quasi absconderat.

Dominica *Palmarum* sive *Ramorum* olim etiam dicta fuit *Capitolavium*, quia in hac die lavabantur capita ungentorum in Sabbatho Sancto. Item *Indulgentia* ob eos, qui pœnitentiam publicam egerant, & tunc absolvebantur. Item *pœnosa* ob justificados per pœnitentiam peccatores, & *sancta* ob Christi passionem, & hinc etiam tota hebdomas vocatur *major*. In Off. Ambros. vocatur *authentica* & *ultima*. Sicut autem die hâc decimâ luna erat, in qua ducebantur agni in domos immolandi in Paschate juxta c. 27. Exod. Sic Christus hodie stratis ante eum palmis & ramis arborum triumphabundus Jerusalem ingrediens in ea per dies reliquos inclusus fuit, & ductus dein ad victimam.

8. Passio D. N. J. C. 2<sup>dum</sup> 4. Evang.

**D**UM legitur in Missa Passio D. N. J. C. non petitur præviè Benedictio, quia Autor benedict. onis extinctu legitur. Primitus tantum legi vel cani solebat Passio à S. Matthæo descripta. Alexander Papa instituit, ut legeretur successivè descripta ab omnibus 4. Evang.

*Feria V. majoris hebd. partim leta, partim tristis. Explicatio nuditatis Altarium, sonitus lignei, ablutionis pedum*

**S**icut die quinto creationis mundi Deus ex aquis produxit partim pisces, & hos in aquarum

tum gurgites depressit, & partim volucres, & hos elevavit in aera. Ita & nos Feriâ hâc V. partim deprimimur in mœrorem, partim elevamur in gaudium. Hinc dicitur in Missa *Gloria in excelsis*, fit sonitus campanarum. Deinde campanæ silent in signum tristitiæ. *Excelsa nostra*, ait Alcuinus, *& turrium nostrarum taceant in humilitate Christi*. Pax non datur in Missa in detestationem osculi Judæ. Altarium nuditas, quæ post Missam fit, significat Christum amisisse speciem & decorem, eumque gloriâ Deitatis quasi nudatum fuisse. Sonitus ligneus humilitatis est indicium; & lignum crucis, quo omnes convocantur, adumbrat. Ablutio pedum (de qua August. Cyprian. alique PP.) fit ad humilitatem Christi imitandam, & munditiam animæ designandam.

9. *Varia carimonia die Veneris sancto in Missa explicantur.*

Q UOD in rubrica dicatur finitâ Nonâ procedi ad Altare, inde venit juxta Rupert. quia horâ nonâ expiravit Christus, ad cujus quasi funus nos accedimus cum Nicodemo. Propriè Missæ Sacrificium hoc die non peragitur ob rationem allatam hîc num. 3. Prophetia in cornu Epistolæ legitur, & inchoatur sine titulo, hoc est lectionis capite, quia & nos occiso Christo *representativè* sumus sine capite. Pariter non dicitur *Dominus vobiscum*, quia moriente summo Sacerdote cessant officia Sacerdotis. Frequentius dicitur: *Flectamus genua* ad augendam

humilitatem. *Prima Lectio* est ex Prophetis, *2da* ex Pentateucho Moysis, quia lex & Propheta Crucem Christi prænuntiarunt. Legitur Passio super nudum pulpitum, quia nudatus Christo in Cruce omnia nuda sunt, & Scriptura revelata. Uno verbo consueta non fiunt, quia in mœrore fiunt veluti exequiæ defuncto Christo. Sacerdos stans in cornu Epistolæ orat pro omnibus, quia pro omnibus Christus oravit in Cruce. Ubi nota, quod, antequam Sacerdos oret pro his illis successivè; antecederet dicat *Oremus*, & Ministri respondeant *Flectamus genua*. Dum autem pro Judæis nullo verbo interjecto statim procedit ad orationem Sacerdos, & ultimò pro iis orat, signum est, quod non sit convertenda ista natio, nisi in fine mundi.

Post orationes velum auferitur à Cruce, ut, quod Judæis tectum erat, nobis reveletur. Ter autem discooperitur Crux, quia paulatim prædicatus est Christus crucifixus. *Primò*, Clam in angulo apud Judæos. *2dò*, Palam v.g. die Pentec. & tempore sequente. *3tiò*, Demum in medio gentium. Sacerdos ostendens lignum, terque Crucem & vocem elevans id facit in honorem Christi ter illusi, in atrio Principis, in prætorio Pilati, in monte Calvarix. Et ideo etiam Sacerdos Ministri, & ex post populus fidelis ter genu flexi crucifixum adorant. Exuuntur calceamenta, quia sanè locus, in quo stat, sanctus est, & omnis inordinatus erga creaturas, affectus exuendus. Tempore adorationis

tionis Crucis cantantur impropria græcè & latinè, non hebraicè, quia Judæi negarunt & reprobarunt Christum. *Agios & Trisagion* græcè, Latinè *Pangue lingua*. Tria hæc, quæ post Processionem ad Altare dicit Sacerdos, scilicet *Preceptis salutaribus. Pater noster, & libera nos*, triduum sepulturæ Christi significant, altâ autem voce dicit *libera nos*, ut hodie pateat descensus animæ Christi in limbum ad liberandos ibidem à tot annorum millibus & sæculis detentos, quod & significatur, dum Sacerdos paulò antè hostiâ in tres partes divisâ ultimam partem mittit in calicem. Porro elevatur hostia alterâ tantùm manu ad differentiam elevationis, quæ aliâ fit post consecrationem. Ne hâc die videatur de novo consecrata. *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei*; nec datur osculum pacis (pariter ut supra Feria V.) in odium osculi Judæ. Omittitur etiam ideo oratio de pace, nec dicitur altera de sanguine Christi, quia non consecratur vinum in calice, sed tantùm tertia, in qua mentio fit Corporis Domini. Nec subjungitur ob eandem rationem *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & sanguis quem potavi*. Non dicitur autem *Comm.* aut *Postcommunio*, quia nemo alius communicat, & *Communio* olim dicebatur tempore Communionis populi. Non dicitur etiam *Placeat, &c.* quia in ea oratione dicit Sacerdos se obtulisse Sacrificium, quod tale tunc non est saltem strictè & propriè loquendo. Cùm tamen in hostia à Sacerdote sumpta fit Sacrificium Sacerdotis & populi, seu

victima Sacrificii. Vocabulum istud latius sumendo, in hoc sensu verum est; quod dicit Sacerdos in oratione *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium &c.* Ità Suar.

10. *Explicatio variarum caeremoniarum Sabbatho Sancto.*

**S**abbathum hoc antonomasticè appellatur *Sanctum*, quia sacer baptismatis fons benedicitur, & olim baptizabantur Catechumeni. Vel quia Sanctus Sanctorum quievit in sepulchro die Sabbathi.

Cooperiuntur Altaria; quia Christus in resurrectione stolam gloriæ induit. Excutitur ignis de lapide, hoc est sacer ignis accipitur à Christo, qui est lapis angularis. Antiquus autem ignis extinguitur, quia lex finem habet. Ante portam Ecclesiæ benedicitur novus ignis, quia extra portam passus est Christus. Hinc Paulus: *Exeamus ad eum extra castra, &c.* Porta Ecclesiæ clausa, & hastili Crucis aperta designat Jerusalem cælestem per Christi passionem nobis referatam.

Per quinque grana incensi significantur aromata à piis mulieribus empta ad unguendum Jesum. A consecratione autem luminis inchoatur Paschalis solennitas, quia hæc æternæ lucis contulit claritatem. Porrò quod Diaconus indutus dalmaticâ albi coloris accipiat juxta rubricam arundinem cum tribus candelis in summitate trianguli positis præsentem Sacerdotem. Significat primo, quod inferior Minister annuat

tit: Christi resurrectionem, ut inferior mulierum sexus ipsis Apostolis eam nuntiavit. 2<sup>do</sup>. Alba dalmatica festiva est; & ideo congruit benedictioni cerei. 3<sup>ti</sup>. Arundo humilitatem passionis Christi indicat. Et sicut teste Athanasio arundo serpentes necat, ita passio Christi Diabolum vicit. 4<sup>to</sup>. Candelæ in calce vel culmo arundinis sunt quasi quid unum, in tres autem supra dividuntur ad designandum mysterium unius & trini Dei. Cereus Paschalis significat Christum resurgentem; & quidem cera corpus, elichnium animam, lumen Deitatem designat. Cereus porro nondum illuminatus representat columnam nubis præcedentem Israelitas in itinere in terram promissionis, illuminatus autem columnam ignis, quæ hodie præcedit catechumenos transeuntes per mare baptismi. Grana quinque cereo infixæ apertè designant quinque Christi vulnera. Sumpto lumine à cereo vel à candelis arundinis accenduntur lampades vel luminaria cætera, quia Christus resuscitatus accendit in Apostolis ignem Spiritus S.

12. Lectiones significant 12. Apostolorum doctrinam, quâ erudiebantur Catechumeni. Cantica tria sive tractus post quartam octavam & undecimam lectionem erant indicia exultantium Catechumenorum de instante baptismo. Orationes indicant expectationem, & desideria SS. PP. in limbo per Christum resurgentem liberandorum. Dum celebrans post Prophetias dicit *Oremus*, Diaconus addit *Flectamus genua*, Subdiaconus *Levate* exceptâ NB, ultimâ oratione

tione. Quia tres pueri, de quibus in Prophe-  
tia duodecima & ultima agitur, noluerunt ge-  
nua flectere statuae Nabuchodonosoris. Finitis  
Propheciis proceditur ad benedictionem fontis  
baptismalis. Et quia per baptismum significa-  
tur mors, sepultura, & resurrectio Christi teste  
Ap. ad Rom. 6. Hinc is potissimum hoc die ce-  
lebrabatur. Litaniae omnium Sanctorum bap-  
tismo Catechumenorum peracto canebantur ad  
significandum confortium omnium Sanctorum  
cum neobaptizatis.

II. *Explicantur varia in Missa Sabbathi S.  
observanda.*

**I**N Missa Sabbathi S. praecedit *Alleluja tractum*,  
quia gaudium quidem insinuatur Paschale,  
sed nondum est plenum. *Alleluja* enim gau-  
dium, *tractus* luctum designat. Est ergo latti-  
tia in spe proxima de insecutura Christi resurre-  
ctione. Ad Evang. non portantur luminaria,  
sed tantum incensum, per quod significantur  
aromata mulierum ad monumentum apportata  
sine lumine fidei. Devotio aderat, fides obscura  
& infirma erat circa divinitatem Christi. Non  
dicitur *Credo*, quia Apostoli nondum crede-  
bant resurrecturum Christum. Non *Offerto-  
rium*, quia mulieres sub silentio ibant cum aro-  
matibus ad sepulchrum. Pacis osculum non da-  
tur, quia nondum dixisse narratur Christus *Pax  
vobis*. Non dicitur *Agnus Dei*, quia nondum  
credebatur Christus Redemptor animarum ad  
tollenda peccata hominum. *Postcommunio*  
omit-

orantur, quia in hac quoque Missa alii non communicant. Ità quoad omnia Gavanti, citans Patres, aliosque viros sanctos ac doctos à tota retro antiquitate venerandos. Dignum autem est talia scire saltem Sacerdotes, quorum multi minùs in rebus hisce versati hætenus allata & adferenda meliùs intelligerent, gustumque in iis haberent. Si laborem illum v. g. tempore exercitiorum [ in quibus Hæctoreus suadet pro consideratione Sacerdotis, ut materiam desumat uno alterove die ex rubricis de Missa & horis ] in se susciperent, & rubricas præmeditatè pervolverent. Quia certè Ecclesia per illas semper symbolici aliquid inculcat. Quòd si jam quis præterea Gavantum aliosque quoad finem illum, quem ego in hoc libello intendo, pervolaret. Inveniret quoque, me notabiliora excerpisse, & licet pia, si torta sint, à longè quæsita, vel aliquomodo coacta consultò præterisse. Quia & solida devotio non indiget hujusmodi adjumentis, & cordato homini, sicut in moribus modoque agendi, ità nec in rebus sacris affectata aut coacta placent. Crisis tamen nimia etiam vitanda est, cum quia provenit ab indole in crises etiam non fundatas pronâ, cum quia sæpè oritur ab inscitia eorum, quæ sancta Dei Ecclesia Pontifices & SS. PP. judicarunt congruere ad hæc vel illa mysteria denotanda. Hinc aliis abreptus studiis priùs non debes decisivam ferre, quam evolutis in hac materia autoribus & eorum assertis prudenti mentis trutinâ ponderatis.

## 12. De Paschate.

**D**ies Paschatis vocatur ab antiquis *nobilitas anni, mensis decius, alma dierum, splendor horarum*. In hebræo est *transitus*, in græco *passio*, & rectè, quia per passionem Christi & nos cum ipso transivimus de morte ad vitam. *Sequentia*, quæ est in Missa, autorem habet hætenus incognitum. *Graduale* [quod & *canticum laborantium* appellatur] adhuc dicitur propter recens baptizatos, qui cum labore gradiuntur ad gloriam, quam Resurrectio Christi promittit. Additur Alleluja duplex ob spem, quòd stolâ gloriæ induendi sint, & quoad animam & quoad corpus. Pascha etiam *Sabbatum in albis* olim vocabatur, quia Angeli testantes resurrexissent Christum ex sepulchro induerant stolâ candidâ. Et hinc etiam alba sunt indumenta Sacerdotum.

## 13. De Litaniis minoribus, cereo Paschali, qui die Ascensionis extinguitur.

**L**itaniæ minores sive rogationes, quæ fiunt triduo ante ascensionem vel institutæ vel saltem restauratæ sunt à Mamerto Viennensi Episcopo ob incursionem luporum in galliam. Minores vocantur, quòd à minore Episcopo & loco respectu S. Greg. Papæ & urbis Romæ institutæ sint. In Ascensione Domini extinguitur cereus Paschalis post lectum Evang. ad repræsentandum Christi discessum ab Apostolis in cælos.

Cur in Sabbatho Sancto Paschatis & Pentecostes  
tantum fit solennis Baptismus. De Jejunio  
& Sabbatho ante Pentecosten.

**D**uo Sabbatha tantum in anno scilicet Pa-  
schatis & Pentecostes solemniter coluntur  
baptismate, ne differentia videatur inter Filium  
& Spiritum S. quorum est æquè mundare ani-  
mas à peccato. Etiam in utroque Sabbatho res-  
pectu benedictionis fontis & baptismi est idem  
ordo. Post nonam incipit, quia horâ illâ Cor-  
nelius à S. Petro baptizatus est, & eâdem horâ  
Christus expiravit, cujus mortem & sepulturam  
baptismus significat. Adventus Spiritus S. eti-  
am à Christo vocatur baptismus. *Baptizabi-  
mini Spiritu S. Act. 1.* Et quia Apostoli hoc mo-  
do baptizati baptizarunt aquâ ter mille in die  
Pentec. meritò hoc instante festo baptismus so-  
lemnis celebratur.

Jejunium 4. temporum hâc hebdomade fit  
ad imitationem Apostolorum, quia sponso  
Christo in cælos abeunte, & jam absente jeju-  
nio se dederunt, & ob instantem Spiritus S. ad-  
ventum delicias ablegarunt. Quia tamen ad-  
huc tempus Paschale durat, festivum adhuc in-  
tantum est jejunium, quod non dicatur in eo  
*Flectamus genua.* In Sabbatho hoc 4. temporum  
omittitur post quintam lectionem *Canticum*  
*trium puerorum*, quia statim subjungitur *Hym-  
nus Angelicus*, nobilior hymno trium puero-  
rum, dein nè duo hymni consecutivè canantur  
à Choro.

## 12. De Festo SS. Trinitatis &amp; Corporis Christi.

Quia post adventum Spiritus S. statim prædicari, & credi mysterium SS. Trinitatis coepit, in cuius nomine juxta Christi præceptum dabatur baptismus. Hinc post Pentecosten congruè statim subsequitur festum SS. Trinitatis. Est etiam congruentia ex eo, quòd (quia natalis Domini est quasi festum æterni Patris, qui ità dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, & cui filius hoc sensu natus est, quòd naturalis ejus ab æterno filius assumpserit naturam humanam, & ei ob unionem hypostaticam cum personâ divinâ divina prædicata attribuerit, cæterosque homines adoptivos æterni Patris fecerit filios. Pascha est festum filii, Pentecostes Spiritus S.) quod inquam post hæc celebretur trium simul personarum divinorum festum. Festum Corporis Christi cum Octava institutum est ab Urbano VI. Anno 1262. confirmatum ab Eugenio IV. Anno 1433. Causam reddit S. Thom. in ejusdem festi officio, cujus autor est. Leodienses primò hoc festum celebrarunt Anno 1230. quia adhuc deest præfatio peculiaris pro hoc festo in Canone, hinc sumitur Præfatio de Nativitate Christi.



15. *Cur quivis dies Dominicus singulariter honorandus, & unde Missarum Dominicalium distributio à festo SS. Trinitatis usque ad Adventum.*

Specialiter reflectendum est, quanti Majores nostri quemlibet diem Dominicum fecerint. Eum appellavere Apostoli *diem Domini*. S. Ignatius Martyr *Reginam & spem dierum*. Chrylost. *diem panis & lucis*. Antiquiores Sylvestro Papâ *primam Feriam*. Conc. Carthaginense *diem remissionis*. Alcuinus *diem sanctum*. Quia eodie mundus cum cælo, Angelis & elementis creatus est, Manna primò pluit, Christus natus, circumcissus & baptizatus est, resurrexit à mortuis, & Spiritus S. descendit super Apostolos.

Quoad orationes, Evangelia in Missis per Dominicas distributa à festo SS. Trinitatis usque ad adventum nil singulariter notandum, nisi quòd distributio ista facta sit à SS. PP. Hieronymo & Gregorio. Quos ut plurimum secutus est Pius V. ut patet ex *Lectionario Hier. Antiphonario & Sacramentario Greg.* quòd Dominicâ nonâ post Pentecosten legatur Evangelium de Jerosolymæ destructione. Ratio teste Honorio est, quòd mense, quo id legi solet, ipsa destructio à Romanis facta sit.

16. *De Dedicacione Ecclesie.*

DE festo Dedicacionis Ecclesie Constantinus Imp. meminit. V. Euseb. l. 4. Athanasius Apol.

Apol. 2. Augustinus sermonem habuit 252. de temp. extant desuper varii Canones, & affertur exemplum Christi concurrentis ad encœnia, id est, dedicationem templi Jerosolomytani Joan. 10. dedicantur autem Ecclesiæ, ut ad eas invitetur Chorus Angelorum, & homines in eas intrantes etiam vel à minima profana cogitatione se contineant. Locus enim, in quo stant, terra sancta est. Ità Alcuinus. Juxta D. Thom. consecratur Ecclesia, quia sancta est Sponsa Christi congregatio fidelium Ecclesiam representans. Porro *Ecclesia* vox græca est, & *Concionem* significat Act. 19. seu *Convocationem*. Dicta etiam est Ecclesia *templum* quasi *tectum amplum*. *Dominicum* vel *domus Dei*. *Cœnaculum* à Cœna Domini. *Domus orationis*. *Basilica Regis Regum*, *Martyrium*, *Confessio* & *Oratorium*. Antiquitus etiam annua dedicatio cujusvis Altaris celebrabatur teste S. Aug. nam cuilibet consecrato Altari putatur assistere Angelus. Consecratur autem Altare teste D. Thom. ad indicandam sanctitatem Christi.

17. *De Festis & Missis Sanctorum per annum.*

**T**Ria ratione Festorum observanda, *Vigilia*, *Octava*, *Festa*. *Vigilia* cœperunt à Pastoribus nocte Nativitatis Christi, & indictæ sunt ab Ecclesia, ut festum ipsum fiat solemnius, & per pridianam abstinenciam purificati id celebremus dignius. Ob scandala autem de nocte contingencia, jejuniis & vigiliarum nomine re-tento, *vigiliae fuerunt interdixæ*. *Festa Sanctorum*

*florum* dicuntur eorum natalitia; quia tunc hinc emigrantes nati sunt cælo. Illa ex Apostolica traditione manant. Primum festum S. Stephano dicatum fuit. Missæ sunt peculiare tempore Paschali de Communi Martyrum, quia teste S. Ambrosio magis consortes fuerunt Dominicæ Passionis. Confessores antiquitus vocabantur illi, qui interpellati Christi fidem coram fidei hostibus confessi erant, etiam ideo tormentis subjecti, non tamen enecati. Nunc latius id nomen sumitur pro viris moribus & vitâ sanctâ confessis Christum. Porro Confessorum ejusmodi festa teste Bellarm. constituta sunt Anno 813. in Concilio Moguntino. Instituta sunt autem festa teste S. Aug. ad excitandam imitationem Sanctorum; & ut meritis eorum confociemur, atque orationibus adjuvemur. *Octava Sanctorum* fiunt ad proroganda eorum festa, & ut celebriora sint, ac compensentur ea per & in Octava, quæ in ipsis festis negliguntur.

18. De benedictionibus candelarum, Processione, Festo Purificationis, & quinque coloribus, quos Ecclesia tum in Festis ac Dominicis, tum in Feriis per annum adhibet.

Purificatio B. M. V. dicta olim est *Festum Simonis & Anna, Presentationis, Occursus* latine, & à Græcis *Hypante vel Hypapanthe*, quod idem est ac obviatio vel occursum. Cæpta est coli Constantinopoli sub Justiniano Imperatore. Juxta quosdam Romana Ecclesia recepit Anno

542. juxta alios jam tum inchoatum est festum hoc Romæ Anno 496. sub Gelasio, qui abstulit Iupercalia. Imò adhuc priùs teste Lektionario S. Hieron. Sergius Papa addidit Litanias seu Processionem cum cereis benedictis. Alii id S. Eligio tribuunt. Beda in lib. de tempore afferens carimoniam hujus causam dicit vice Iustrationis, quæ in secundo mense Plutoni fiebat, accendi cereos, quasi lucentes bonorum operum lampades, ut obviam Christo hodie in templo præsentato cum virginibus eamus.

Diversos colores, quos Ecclesia tum in Festis tum in Dominicis adhibet in casulis antependiis, quod attinet. Sciendum ex Gav. Tit. 18. p. 1. quòd *albus color* significet gloriam, gaudium & innocentiam. Hinc adhibetur in Paschate, Nativitate Domini, Epiphaniâ, Feriâ V. Cœnæ Domini, Festo SS. Trinitatis, Corporis Christi, Festis B. V. Angelorum, Confessorum, sanctarum Virginum, Consecratione & Dedicatione Ecclesiæ.

*Rubens color* significat dignitatis gradum excellentiorem, & quia humano sanguini similis igneam refert naturam. Hinc adhibetur à Vigilia Pentecostes usque ad Sabbathum sequens. Festo S. Crucis, SS. Martyrum &c.

*Vividis color* medius est inter hos colores, & ideo teste Innocentio Tertio adhibetur ab Oct. Epiph. ad Septuages. & ab Oct. Pentecostes ad Adventum in officio de tempore. Quia feriales dies non sunt lugubres, & Dominicæ in his temporibus minis solennes.

*Violaceus* color designat lugubre tempus, hinc in Adventu & Septuagesima usque ad Pascha eo utitur Ecclesia. Tempore Innoc. III. niger adhibebatur.

*Niger* color mortis est proprius color, & hinc Ecclesia modo eo utitur die Veneris S. & in Missis Defunctorum.

## CAPUT QUARTUM.

*De horis Canonicis in quatuor Paragraphos § 33. numeros distinctum.*

In quo adferuntur illa, quæ & merito ab obligato ad horas dicendas sciri debent, & ad maiorem devotionem excitant omissis iis, quæ vel ad Theologiam Moralem spectant, vel in rubricis generalibus Breviarii continentur tanquam regulæ pro orando officio.

§. I mus.

*Breviarium ejusque Appendices.*

*Officium Canonicum ejusque divisio & partes in genere.*

1. *Vocabuli Breviarium explicatio, ejusque in genere contenta.*

**B**reviarium (olim etiam *Precationum Liber* & *Orarium* dictum) significat ex Tomo 2. Concil. indicem & titulum cujusdam operis.  
Ex

Ex Plinio & Suetonio compendium sive summarium & concisum opus. Utraque explicatio optimè convenit Breviario Ecclesiastico. Nam & indicat quotidie, quid orandum sit, &, ut benè reflectit Lessius, admirabile est mysteriorum S. Script. compendium. Continet enim imprimis Psalmos, in quibus per modum laudis omnia S. Scripturæ mysteria comprehenduntur. Dein selectissima V. & N. testamenti, sanctorumque Patrum notabilia documenta & præcipua Sanctorum gesta. Hinc, licet sub Greg. IX. Anno 1241. ut ex Bulla patet, Haymo Generalis Minister Ordinis FF. Minorum S. Francisci, Breviarium Romanum cum Missali in meliorem ordinem redegerit, idemque ferè sit; quo nunc utimur [vi Decreti Conc. Trid. Sess. 25.] à Pio V. edito, & à Clemente VIII. & Urbano VIII. recognito. Malè tamen ab Hæreticis velut inventum Monachale exploditur, quia tota substantia est à Spiritu S. nempe Psalmi, & lectiones ex Script. Oratio Dominica à Christo, symbolum ab Apostolis, hymni plerique à SS. Hilario & Ambrosio, cætera ut homilia & lectiones de præcipuis Sanctorum gestis, orationes vel à summis Pontificibus, vel sanctis Patribus, vel viris omni eruditione & sanctitate clarissimis composita sunt.

2. *Appendices Breviarii sex.*

*PR*ima Appendix Breviarii est *Officium parvum B. V. M. à S. Petro Damiani vel institutum vel restitutum.* Quod decret. Urbani II. in

in Conc. Claramont. Anno 1096. jussum quidem est recitari ab omnibus, qui ad horas Cantendendas obligantur. Nunc autem extra Chorum ad id nemo tenetur.

*Secunda Appendix est Officium Defunctorum, quod etiam dicitur agenda. Item Exequia ab executione, eò quòd executioni mandanda sit Defunctorum voluntas. Officium hoc ab Apostolis ortum, & ab Origine auctum esse dicitur. S. Augustino in forma, in qua modò est, tanquam auctori tribuitur à Jacobo de Valentia.*

*Tertia Appendix sunt Psalmi Graduales; qui canebantur in ascensione Judæorum è Babylone ad Jerusalem.*

*Quarta Appendix sunt Psalmi Pœnitentiales, quos S. Augustinus in morbo ultimo ad parietem lecti descriptos continuò pervolutabat. Litanie hos Psalmos insequentes olim fuere fusiores. Pius V. selegit Sanctos exprimendos, & ad certum numerum petitiones redegit. Quibus, ut sit uniformitas in Ecclesia quoad preces publicas, inconsultâ sede Apostolicâ nulla prorsus debet fieri additio. Dum petitur inter cætera in iis à Deo; ut *Domnum* Apostolicum &c. in S. religione conservare dignetur Deus. Ratio quare loco *Dominus* ponatur *Domnus*, mihi inter cæteras illa præplacet, quòd unâ litterulâ demprâ Vicarius Christi vocetur *Domnus*, & Christus ipse *Dominus*, ut appareat differentia inter principalem, & ejus vices gerentem.*

*Quinta Appendix est Ordo commendationis animæ, quæ jam tàm in usu ante S. Greg. M. fuit,*

fuit, & apponitur in Breviario, ut Sacerdos tempore necessitatis eam ad manum habeat.

*Sexta Appendix est Benedictio mensæ, & Itinerarium Clericorum.* Benedictio ad mensam quibuscunque demum concepta verbis fuit in in V. & N. testamento ante & post comestionem, Et Christus post Cœnam ultimam hymno dicto exiit in hortum Gethsemani. Itinerarii Clericorum autor incertus est, nec invenitur in antiquis Breviariis. Ultimæ duæ orationes inveniuntur in *Sacramentario S. Greg.* sufficit mihi, quòd Ecclesia itinerarium hoc tanquam communes preces adoptarit, in qua adoptione magnam pono confidentiam, & effectum ejus unâ mecum plurimi in periculosis itineribus senserunt.

3. *Officium divinum unde? ejus divisiones.*

**O**fficium est quasi *efficiam* 2<sup>um</sup> dum Hieron. in lib. de officiis. Unicuique enim convenit suum efficere officium. Et officium teste Isid. propriè est congruus actus cujusque personæ secundum mores ac leges publicas, vel assumptæ professionis. *Divinum* dicitur, quia est proprius actus eorum, qui Deo sunt dicati. *Simplex* dicitur, quòd fit de feria sive festo cum uno tantum nocturno & tribus lectionibus. Rudolphus dolet, Breviarium sub Gregorio IX. ab Haymo digestum ad usum communem receptum esse ob multitudinem festorum cum diminutione ferialis officii in eo contentam. S. Bern. ad Canon. Lugdun. scribebat numerositatem

tatem festorum *Cives* decere non *Exules*, quales nos in hac miseriarum valle adhuc sumus. Sed brevitatis officii diurni compensari potest aliis piis operibus & precibus. Multi pinguius præbentur nec negotiis aut occupationibus sacris vel profanis reipublicæ causâ distenti adhuc brevius esse officium divinum optarent, sed malè. Aliud esset pro hominibus iudicio Bellarmini, qui toto sæpè die concionando, Confessiones excipiendo ità distenti sunt, ut vix cibum capere possint, & sub seram noctem prius horas recitare debeant. *Semiduplex Festum* inde dictum, quòd nec Antiphonas duplicet, nec preces & suffragia excludat. *Duplex* est, in quo Antiphonæ ante & post Psalmos duplicantur. In recognitione Clementina Breviarii ad maiorem distinctionem & faciliorem usum tabellarum de occ. & concurrentia festorum instituta sunt quatuor genera festi & officii duplicis, nempe primæ & 2dæ classis, duplicis majoris & minoris. Porrò quoad hanc festorum & officiorum varietatem usui venit illud Dion. Arcopag. nempe quod Ecclesiastica Hierarchia & officiorum in ea distinctio repræsentet cælestem hierarchiam, in qua Sancti juxta Apostolum, sicut stella differunt claritate à stella, secundum meritorum diversitatem disponuntur.

4. *Hora in genere.*

**H**ora aliquibus dictæ esse videntur ab *orando*. Sed ideo propriè *hora* dicuntur, quia definitis ex Ecclesiæ instituto horis recitantur.

*Canonica* appellantur sive *regulares*, quia juxta regulam seu normam Ecclesiasticam in ordinem sunt redactæ. A Germano Episcopo Parisiensi vocabantur *Cursus*. Tali modo jure vocari possunt considerando, quòd in iis selectissima quæque ex S. Script. SS. PP. vitis Sanctorum percurrantur mente. Sed prò dolor etiam ita vocari possunt respectu deblaterantium eas subito sine attentione & devotionis succo. Apostoli ab Hebræis accepere horas seu statuta per diem tempora orandi. *Horà tertià* erant orantes in Pentecoste Act. 2. *Horà 6tã* Petrus orabat Act. 10. *Ad horam nonam* ascenderunt in templum Petrus & Joannes Act. 3. *Mediã nocte* orabant Paulus & Silas Act. 16. Hinc easdem horas præscripsere fidelibus. V. Clement. l. 8. constit. c. 40. Pontifices varii varia horis adjecerunt. *Prima & Completarium* unde ortum habeant v. infra N. 7. & 10. In Bull. Pii V. init. Breviarii editã formulæ officii, quã nunc utimur, Constitutores & Reformatores esse dicuntur Gelasius 1. & duo Gregorii 1. & 7imus. Porro communior opinio est horas esse septem, Matutinumque ac Laudes unam tantum constituere. Nec caret mysterio numerus hic septenarius. *1mò*. Respectu mundi creati, ut agamus Deo gratias pro rebus per septem dies creatis. *2dò*. Respectu mundi redempti. Nam redemptionis nostræ mysteria his horis peracta. *Mediã* siquidem *nocte*, quando canitur, oratur, vel orari potest *Matutinum*, Christus natus est & resurrexit. *Primã* ductus ad Pilatum. *3tã* fla-

flagellis cæsus, spinis coronatus. *6tâ* Cruci affixus. *9nâ* expiravit, ad inferos anima ejus descendit. *Horâ vespertinâ* de Cruce depositus est; eâdem horâ cœnavit, pedes lavit, Eucharistiam confecit, & respectu eorum, quæ in Cœna ultima peracta sunt, hora quasi *Completorii* fuit ejus oratio in horto. *3tiò.* Et respectu nostri hic numerus septenarius observandus est. Nam septies in die cadit justus Prov. 24. in imperfectiones, & septies mox hanc mox illam horam orando resurgit. Septem assumit Dæmon nequiores se spiritus contra nos. Septem sunt dona Spiritûs S. quibus, devotè horas Canonicas recitando, Dæmones vincimus. Septem sunt partes orationis Dominicæ, septies de die David laudem dixit Domino. Ad hæc in unaquaque hora septem particulæ numerantur. 1. *Deus in adjutorium,* & *Crux* in nomine Patris & Filii &c. 2. *Hymnus.* 3. *Psalmi.* 4. *Antiphona.* 5. *Capitulum.* 6. *Responsorium.* 7. *Oratio completiva.*

§. 2dus.

De septem horis in specie.

§. *Matutinum unde dictum, ejus formæ tres nocturni.*

**M**atutinum est vox antiqua, & teste Conc. Cabilon. 2. deducitur à Matutâ, id est Aurorâ, quia sub auroræ ortum vel etiam de nocte

orabatur. Formæ Matutini vestigium non ob-  
scutum recensetur ab Apost. 1. Cor. 4. ut notat  
Baron. ait enim: *Cum conveneritis, unusquis-  
que vestrum Psalmum habet, doctrinam, Apoca-  
lypsin, linguam, interpretationem.* Nam verè in  
Matutino habemus Psalmos, Lectiones pro do-  
ctrina; Responsorialia pro Apocalypsi sive revela-  
tione; quia verba sunt selecta ex S. Script. Evan-  
gelium pro lingua, Homiliam pro interpreta-  
tione. Primi Christiani hæc habebant ab Aposto-  
lis ore tenus. Nos ex Scriptis SS. PP. & quia  
juxta illud Hieron. Ep. 22. ad Eustochium: *No-  
ctibus bis terve surgendum*, tres noctis vigilias  
antiqui observabant, & distinctis horis noctur-  
nos canebant. Hinc nomen illud trium No-  
cturnorum adhuc retinetur, non tamen jam di-  
viduntur Nocturni.

*De Psalmis in tribus Nocturnis Dom. & 12.  
in Feria.*

**I**N horis Dominicæ ad Matut. recitantur in pri-  
mo Nocturno 12. Psalmi, & recolitur tem-  
pus legis naturæ; in quo sub finem per 12. Pa-  
triarchas populus Domini in 12. fuit propagatus  
tribubus. In 2do Nocturno tribus Psalmis re-  
colitur tempus sub lege scripta vel Mosayca. Sub  
qua tres ordines floruerunt *Sacerdotes, Reges, Ju-  
dices.* In 3tio Nocturno tribus Psalmis recoli-  
tur tempus legis gratiæ. In qua floruerunt &  
florebunt *Apostoli, Martyres & Confessores.* Ad  
numerum Confessorum reducuntur omnes San-  
cti & Sanctæ, si Martyres non fuerunt. Ante  
omnia

omnia tres Nocturni, tres in quolibet Lectio-  
nes, & tria Responsoria semper nobis inculcant  
Mysterium SS. Trinitatis. 12. Psalmi feriales  
ideo sunt constituti, quia 12. sunt horæ noctis,  
& cuilibet horæ Psalmus respondet.

6. *Unde Laudes, cur in iis iidem Psalmi duobus  
exceptis certis temporibus.*

**L**audes, quæ cum Matutino unam horam  
conficiunt, inde dictæ sunt; quòd aperte  
sonent *divinas laudes*. Dicuntur autem in Lau-  
dibus semper Psalmi iidem in Dom. & Festis,  
Nisi quòd duo primi mutantur in Dom. à Sep-  
tuagesima usque ad Dom. Palmarum inclusivè,  
vice quorum dicimus Psalmos *Miserere & Con-  
fitemini* ad timorem ob peccata incutiendum in  
primo, & in altero ad spem excitandam ob bo-  
nitatem Dei. Et quia tunc non est tempus læ-  
titiæ, quam exprimunt duo primi Psalmi *Do-  
minus regnavit & Jubilate*. Interim quia, si per  
integram hebdomadam diceretur de Feria  
(quòd olim necdum multiplicatis ita festis nil  
erat novi) totum Psalterium deberet absolvi,  
Psalmus *Dominus regnavit* dicitur in *Prima &  
Jubilate* in Matut. Sabbathi, quando non fit  
officium de B. V.

7. *Unde Prima, varia eius partes, & per heb-  
domadam divisiones Psalmorum.*

**P**lures docent & rectè (contra alios volentes  
*Prima* usum antiquiorem esse) quòd ante  
Callianum *Prima & Completorium* saltem in tali  
forma

forma non fuerint. In Reg. S. Benedicti & Conc. Cabilon. 2. *Prima* fit mentio. Post ortum solis congruè recitatur ( ut Hymnus ipse *Jan lucis orto sydere* indicat ) ut scilicet ipso solis ortu solem justitiæ nobis orientem postulemus, & primâ horâ etiam primùm quæramus regnum Dei, primasque cogitationes velut quasdam lucis primitias Deo offeramus. In *Prima* Dominicæ & Feriarum sunt 4. Psalmi. In Dominica quartus Psalmus est *Confitemini*, quia in eo versus est de *Resurrectione Christi* in die Dominicâ factæ. Feria V. *Dominus regit me*, quia in eo agitur symbolicè de *Eucharistia*. Feria 6. Psalmus *Deus, Deus meus* totus est de passione Domini. In *Sabbatho* sunt tantùm tres Psalmi; quia nullus ex Psalterio superest, qui assignari Sabbatho possit. Subditur in Dominica Symbolum S. Athanasii, quia fides fundamentum est omnis boni operis. In festis & tempore Paschali tantùm dicuntur tres Psalmi, quia jucunditas ob festivitatem excludit laborem multa canendi. Primus Psalmus in *Prima* *Deus in nomine tuo* oratur tanquam pro totius diei decursu contra hostes animæ aptissimus. Ter dicitur post orationem *Sancta Maria, Deus in adjutorium*. Ut peccata præsentia ac præterita deleamus, & futura caveamus. Item ut armemur in nomine SS. Trinitatis contra Diabolum, mundum & carnem. Capitulum post Psalmos in *Prima* non legebatur antiquitùs. Quia tamen post Primam conveniebant Monachi ad lectionem communem. Vice ejus etiam modò ab aliis

aliis horas recitantibus legitur Lectio brevis,  
prout vocatur in Breviario.

*Laudes & Vespera sibi similes sunt, sicut etiam  
Prima & Completorium.*

**D**Emum Gavantus observat, Laudes & Ve-  
speras dein Primam & Completorium sibi  
affines esse. Nam in Prima & Completorio fit  
Confessio. Cantico Simeonis in Completorio  
respondet Symbolum S. Athanasii in Prima. Dein  
Hymni, Capitula, preces in utraque hora ita  
sunt disposita. Ut initio diei & noctis arme-  
mur contra hostes diurnos & nocturnos, sua-  
vique [quod monebat Ambros.] Psalmorum  
celebritate ita dies clauditur & inchoatur, sicut  
aves suavi modulatione ortus dierum ac noctium  
prosequuntur.

8. *Unde Tertia, Sexta, Nona.*

**T**ertia, Sexta & Nona, ut vide supra num.  
4. notissimæ fuere Apostolorum tempore.  
Sunt & alia de his horis in S. Script. exempla.  
Daniel ter orabat de die. *Hora tertia* datus est  
Spiritus S. quem & nos petimus in hymno *ad  
Tertiam*. Lex nova data est Apostolis, de qua  
*ad Tertiam* dicimus *Legem pone mihi Domine.*  
*Horâ 6tâ* Christus cum Samaritana sermonem  
habuit, & docuit Deum in Spiritu adorandum.  
*Horâ 9nâ* Centurio Cornelius Angelum vidit  
Act. 10.

9. Unde *Vespera*, diversa eius hora nomina:

*Vespera* à Sydere, quòd *Vesper* nominatur, & decidente sole oritur, nominantur, Significat tamen etiam hoc vocabulum tempus tùm ante tùm post solis occasum. *Vespera* à S. Hieron. in Ep. ad Latam *Lucernarium* vocantur, A Cassiano *hora lucernalis*, eò quòd lucernæ accenderentur, dum orarentur. A primis *Vesperis* inchoatur Festum, sicut & Hebræis dictum erat. *Festa vestra celebrabitis à Vespera usque ad Vesperam.* Sacrificium vespertinum commendatur à Davide Ps. 140. Abraham & Patriarchæ in *Vesperis* offerebant Sacrificia. *Vergente mundi Vespere* advenit Christus.

*Quid observandum ratione quinque Psalmorum.*

Quinque in *Vesperis* Psalmi, sacra quinque Christi vulnera, quorum ultimum horâ vespertinâ lateri ejus illatum fuit, in memoriam nobis revocant. Et sicut quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras, & à sole justitiæ nos avertimus. Ità necesse est, ut initio noctis pro iis veniam precemur. Tenemus etiam hos 5. Psalmos quasi lampades quinque virginum prudentum; ut veniente nocte obviam eamus Domino. Et hinc post Psalmos per Capitulum & hymnum venienti Domino psallentes occurrimus.

*Cur Canticum Magnificat in Vesperis.*

Canticum *Magnificat* (quod in Ord. Rom. passim vocatur *Evangelium* ex Luc. 1. de-sumptum)

sumptum) cantatur vel recitatur in Vesperis multis de causis, v. g. quia sub Vesperum B. V. pervenit in domum Elisabeth, & salutans ac salutata canticum hoc statim afflante Spiritu S. profudit. Item ut animos fidelium frequentior Dominicæ Incarnationis memoria ad affectum devotionis accendat, & recogitata sæpius exempla B. M. V. in virtutum soliditate nos confirmet præsertim sub Vesperum, atque ita incumbente quietis tempore mens fatigata ad unionem se suæ considerationis recolligat.

10. *Unde Completorium.*

**V**Ox *Completorium* reperitur in Reg. S. Benedicti c. 24. *Completam* vocat Isidorus, vel quia in ea completur quotidianus usus cibi, potus, laboris, colloquii apud Regulares, vel quia officium divinum, ipsaque dies eâ horâ completur. Dum Cyprianus dicit lib. 1. de orat. *Recedente sole ac discedente necessario rursus orandum est.* Suarez notat verbo *recedente Vesperas*; in 10 *discedente* Completorium designari.

*Ejus partes explicantur.*

**L**ectio brevis *Fratres sobrii estote*, ortum ab initio Completorii à lectione habuit, ad quam horâ Completer. conveniebant Monachi, ut supra ad *Primam* dictum. *Confessio* aptè subiungitur. Ut, quidquid in die commisimus, diluamus, & Confessione peccatorum mundemur. Quatuor Psalmi merentur ob contenta

in iis devotè recitari. Inter cætera in primo Psalmo *Cum invocarem*, quietem poscimus per verba *In pace in id ipsum dormiam & requiescam*. In secundo *In te Domine speravi*, per ultimum versum *In manus tuas optamus in & cum Christo mori*. In tertio *Qui habitat*, & quarto *Eccenunc*, contra tentationes nocturnas armamur. In hymno *Te lucis ante terminum* petimus victoriam de nocturnis illusionibus. *Capitulum* exhortationem sonat, quâ semper egeamus. *Responsorio brevi* quasi signaculo divinæ nos custodiæ sigillamus ut pupillam oculi. Et quia *Completorium* est commendatio animæ quasi migrantis è corpore per somnum; ideo *Canticum Simeonis* additur; quo pacem & lucem optamus à Deo. Subnectimus preces ad nos coram Deo debitè humiliandos cum oratione Dominica, & Symbolo fidei ad munimentum contra hostes nocturnos. In quem finem solemnè religionis cultu imploratur quoque auxilium benedictæ Matris Redemptoris nostri JESU. Demum in fine adhuc dicitur oratio Dominica, salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum, quia iisdem ritibus finiendum est totum officium, quibus est inceptum.



§. 3<sup>tius</sup>.

Notabiliora de vanis ipsarum septem horarum in specie partibus præter ea, quæ de Primâ, Vesperis & Completorio §. præcedente memorata sunt.

II. *In quem finem Oratio Dominica in omnibus horis, & cur subinde vel tota vel ex parte tum secreto, tum clarâ voce dicatur.*

**O**ratio Dominica recitatur in officio tribus modis. *In initio horarum*, ut mens præparetur, & oratione hâc contra distractiones muniatur. *In fine horarum*, ne Diabolus de corde Sacerdotis rapiat, si quid boni seminatum est per recitationem horarum. *In medio horarum* ad preces, ut nos identidem recolli gamus, & ad devotionem ipsâ, quam Christus nos docuit, oratione excitemur, precesque, quas diximus & dicturi sumus, majorem efficaciam habeant.

Tota Oratio secreto, tota clarâ voce, dein partim secreto, partim clarâ voce dicitur: ut omnibus modis orandum esse Deum intelligamus. Dicitur clarâ voce tota in precibus Laudum & Vesperarum, in Adventu, in diebus jejunii, ut cum jejuniio elatâ voce magis audiamur. Sæpius autem secreto dicitur; quia Deus de corde clamantes audit, non rarò partim clarâ voce partim secreto, & tunc primis illis vocibus

*Pater noster* clarâ voce prolatis invitantur alii ad simul orandum. Et postremis *Et ne nos inducas*, innuitur requiri aliorum consensum, ut per conspirationem omnium Deo offerantur preces.

*Unde Salutatio Angelica, & cur dicatur in omnibus horis.*

**S**alutationis Angelicæ sive *Ave Maria* autores sunt Archang. Gabriel per hæc verba: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Elisabeth ultimis verbis hæc addens: *Et benedictus fructus ventris tui.* Verbum *JESUS* in medio dici putat Gav. ex antiqua consuetudine. In Conc. Ephesino certum est teste Baron. hæc verba pronuntiata fuisse *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus Amen.* Et hæc verba mansere usque ad Breviarium Cardinalis S. Crucis. Postremis temporibus ex consuetudine Romanâ à Pio V. approbatâ addita sunt hæc verba: *Nunc & in hora mortis nostræ Amen.* Jussu Pii V. initio omnium horarum excepto Completorio debet dici cum *Pater noster* simul *Ave Maria*, & videtur ideo (postquam Officium B. V. quod aliâs quotidie recitabatur cum officio divino, nunc præsertim extra Chorum, omittitur) retenta esse salutatio Angelica ante horas omnes dicenda; ut in singulis horis eam colamus, cujus intercessione omni tempore indigemus.

12. *Unde Symbolum Apostolorum, cur & ante quas horas dicatur partim secreto, partim elatâ voce.*

**S**ymbolum græcè est *Collatio*, sive quod in unum confertur, dicitur *Apostolorum*, quia

singuli Apostoli ad id contulere versum, antequam in orbem dividerentur. Id quod quisque Deo dictante fecit. *Romanum* etiam vocatur, quia in diversis Ecclesiis factæ sunt mutationes, Romæ verò minimè. Damasus ad omnes horas id recitari præceperat. Modò dicitur ter, scilicet in *Matutino*, *Prima* & *Completorio*. Si dicantur preces in *Prima* & *Completorio*, dicitur quinquies. In initio *Matut.* & *Prima* dicitur in ordine ad professionem fidei, quæ virtutum omnium fundamentum est. Dicitur præterea secretò, sicut & in *Completorio*, quia in primæ Ecclesia sub silentio, metu persecutionum plerique fideles erant, & in fine mundi tempore Antichristi plures in corde reservabunt fidem, non ore palam prædicabunt. Dicitur in precibus *Primæ* & *Completorii* partim clarâ voce, partim secretò; quia corde creditur ad iustitiam, ore autem Confessio fit ad salutem. Nunquam autem totum clarâ voce dicitur, nisi in *Missâ*, quia teste D. Thoma 2. 2. q. 1. a. 9. ad 6. in primitiva Ecclesia prædicabatur fides potius occultè, & idem in fine mundi tempore Antichristi fiet. Nunc verò temporis, quod hora *Missæ* repræsentat, manifestatâ fide Symbolum Apostolorum evulgatur liberè, & absque metu cantatur.

13. *Initium horarum cur triplex, cur subnectatur illi Gloria Patri. Item Akeluja, vel Laus tibi Domine.*

**I**nitium horarum est triplex; quia, ut Turrecrem. ad Reg. S. Benedicti advertit, tribus

modis peccatur corde, ore & opere. *Domine labia* est contra peccatum oris. *Converte* contra peccatum cordis. *Deus in adiutorium* contra peccatum operis. Præterea aptius ab initio totius officii dicitur: *Domine labia*, quia ore laudandus est Deus per recitationem officii; & quia per diem vagamur à Deo, ideo sub noxam aptius dicimus *Converte nos Deus*. Per diem autem sæpius cum antiquis Monachis, in quorum ore versus hic erat frequentissimus, dicimus *Deus in adiutorium*.

Additur jussu Damasi *Gloria Patri* ad omnes horas, qui versus totus usque ad finem *Sicut erat in principio, &c.* à Nicænâ Synodo fuit compositus; imò ab Apostolis eum fluxisse probat Baron. completur initium horarum per vocem hebræam *Alleluja*; quæ significat juxta Aug. *Laudate Deum*. Et quidem cum plenitudine exultationis juxta D. Thom. & quia à Septuages. incipit tempus tristitiæ, tunc loco *Alleluja* ex decreto Alexandri II. dicitur *Laus tibi Domine*. Porrò vox hæc *Alleluja* à S. Hieron. jussu Damasi translata est de Jerosolomytana Ecclesia ad Romanam teste S. Greg. qui & voluit etiam extra tempus Paschale eam in horis addi.

14. De Invitatorio, Hymnis.

**I**nvitatorium (in quo communis cœtus fratrum convocat omnes ubique degentes ad confitendum Domino) dicitur sexies integrè intra Psalmum *Venite*; & ter imperfectè, quia aliqui perfectè (numerus senarius est perfectorum)

rum ) aliqui imperfectè invitationem recipiunt.

De Hymnis nota sequentia. 1. *Hymnus* græcè, latinè *Laus Dei cum cantu* dicitur. Christus hymno dicto exivit in montem Oliveti, & Paulus ad Coloss. 3. Ephes. 5. de eo loquitur. 2. Hymni dicuntur post Invitatorium ex institutione Gelasii in signum gaudii vocatorum ad Deum, & ad excitanda torpentia corda. Post Psalmos, ut excitemur ad immediatè sequens canticum Evangelicum devotè dicendum in Laudibus. In Vesp. & Completorio ante Psalmos ad alias horas dicitur, ut initio horæ ad dulcedinem divini amoris retrahantur corda quotidianis curis occupata. Finis Hymnorum variatur pro varietate Festorum, ut mysteriorum tunc occurrentium magis recordemur. 3. Ex latinis Hilarius librum Hymnorum Ecclesiasticorum edidit teste Hieron. quem imitatus est Ambrosius Hymnos populo componens, per quos persecutionem Justinæ Augustæ rerum novitate lenivit. Hymnos cantandos in Ecclesia Romana composuit Gelasius Papa. 4. Ad sex species reducuntur Hymni metrici. Eorum tamen Autores leges metri sæpiùs neglexerunt. Eos Urbanus VIII. emendavit, & adhuc fat multa, ut Gallus quidam Poëta ex nostris annotavit surrogatis aliis versibus, expurganda restant. Hymnus *Ave maris stella* cum paucis aliis soluta potiùs oratio est, aliquibus incisus partita. Tres Hymni de SS. Sacramento relicti ratione hetrusci rithmi. 5. Guido Ab-

bas

bas ( qui obiit Anno 1020. ) Græcos imitatus  
 musicos syllabis ad musicam docendam usos,  
 Ex fine Hymni *ut queant laxis resonare fibris mi-  
 ra gestorum famuli tuorum* &c. notas has vel syl-  
 labas *ut re, mi, fa, sol, la,* adinvenit. Demum  
 6. Hymni significant fortitudinem & Majesta-  
 tem Dei, ejusdem vel beneficia vel facta mi-  
 randa teste Hieron. unde & stando eos canta-  
 mus ob reverentiam, & ut ostendamus nos sur-  
 sum ad Deum habere corda nostra.

15. Unde & *cur Antiphona, quando du-  
 placentur, &c.*

**D**E Antiphonis nota seqq. 1. *Antiphona* idem  
 est, ac *Vox opposita, consonans, reciproca.*  
 Quia inchoatur ab uno unius Chori, & ad ejus  
 Symphoniam cantatur Psalmus per duos Cho-  
 ros, & cum ipsa Antiphona postmodum con-  
 junguntur simul duo Chori. Hinc usu recep-  
 tum est; ut sententia, quæ Psalmum aut Can-  
 ticum præcedit, Antiphona dicatur. 2. Autor  
 Antiphonarum in Ecclesia græca est Ignatius An-  
 tiochenus ex Cassiod. post quandam visionem  
 Angelorum; quos vidit unum ad alterum con-  
 versum, cantantes *Sanctus, Sanctus, &c.* Græ-  
 cos imitatus primus inter Latinos Ambrosius  
 Antiphonarum Autor est circa annum 383. vide  
 August. l. 9. Confess. c. 6. 3. Dicuntur Anti-  
 phonæ semper cum Psalmis; ut, sicut Psalmus  
 significat teste Hieron. opus bonum, ita innu-  
 atur id nec sine Antiphona debere esse, quæ suâ  
 combinatione seu repetitione ante & post Psal-  
 mum

num significat diversorum unionem & caritatem, sine qua utique nullum opus bonum facit concentum Deo gratum. Observent hoc cantes in Choro sæpè inter se divisi animo. 4. Quia in solemnioribus festis majorem caritatem ostendere debemus; hinc in festis duplicibus Antiphonæ duplicantur. In Semidupl. & Simplic. quòd pars Antiphonæ ab initio Psalmi dicatur, & integra in fine, significat, inchoatam in hac vita caritatem consummandam esse in fine vitæ. Quando autem tempore Paschali sub una Antiphona plures dicuntur Psalmi, id denotat ex Paschalibus Sacramentis & gaudiis ita fervere Clericos, ut non egeant pluribus Antiphonis accendi ad caritatem. 5. Ad horas minores (quæ humilius celebrantur, quàm Matut. & Vesperæ) una dicitur Antiphona; quæ desumitur in festis communiter à Laudibus quartâ prætermisâ: quia hæc est Antiphona pro Cantico non pro Psalmo. Prout scilicet Canticum à Psalmo contradistinguitur.

16. *Varia de Psalmis.*

**D**E Psalmis nota sequentia. 1. Titulus hebraei Psalterii est hic: *Liber Hymnorum, seu Laudum divinarum.* Psalmus Græcis idem est, quod Latinis *Cantus sive sonus*, qui fit manibus pulsato Psalterio. Psalterii Autor post Spiritum S. non tantum secundum maximam sui partem, quod certum est, sed etiam eorum Psalmorum, qui carent titulo, imò & qui aliter præferunt autorem, juxta communioem est sanctus

sanctus Rex & Propheta David. Eorum modulatio juxta illud ad Coloss. 3. Ephes. 5. in *Psalmis cantantes* in primitiva fuit Ecclesia. Cantus autem tunc vicinior erat modico vocis flexui pronuntiantis Psalmos, quam canentis: V. Aug. l. 10. Confess. c. 33. ubi facit autorem hujus moderati cantus S. Athanasium. Alterni cantus quaestio est, quis fuerit autor. Historici Graeci ex Athanasio Flaviano & Diodoro ejus autores fuisse dicunt, Theodoretus vult tantum fuisse restauratores. Probabilius inter Latinos primus ejus autor est S. Hieron. qui Graecos imitatus est. V. August. l. 9. Confess. c. 6. quem deinde morem Damasus Papa generali decreto firmavit, & communem toti Ecclesiae fecit. Significat autem alternus cantus alternam fidelium ad bene operandum exhortationem; & quod alter alterius onera portare debeat.

2. Ordo Psalmorum triplex est. 1. *Historicus*, quo scilicet ordine quisque sit compositus; & hic difficulter haberi potest. 2. *Biblicus* qui in S. Bibliis habetur à Psalmo 1. usque ad 130. Hos aliqui ita dividunt; ut primi 50. pertineant ad poenitentes sive incipientes. Alii 50. ad proficientes; reliqui 30. ad perfectos; & hoc placet Bellarmino. Sicut autem omnes Versus sunt 2606. ita in Ps. 77. dimidium versuum est inter hos duos versus. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo &c. Ipse autem est misericors &c.* quasi centrum Plalterii sit descriptio summæ malitiæ hominum, & summæ bonitatis Dei.

Dei. 3. Ordo Psalmorum *Ecclesiasticus* est, qui ponitur in Breviario. Si divides Psalmos per horas; ad Matutinum per hebdomadem invenies in Breviario Psalmos 91. ad Laudes 13. ad Vesperas 35. ad alias horas 11. qui faciunt summam 150. Damasus ex distributione facta à S. Hieron. constituit in Dom. Matut. 18. Psalmos, in matutinis ferialibus 12. in Matut. festorum 9. ad horas minores Ambrosium secutus distribuit in plures partes Psalmum 118. *Beati immaculati.* De numero duodenario in feriis narrat Cassianus: quod coram Monachis Angelus apparens 12. Psalmos continenter cecinerit, iisque finitis cantaret Alleluja, ac siluerit non amplius visus nec auditus. Unde à Conc. Turon. c. 19. in Matutino 12. saltem Psalmos expediri iustum est factâ mentione prædictæ visionis Angelicæ.

*Cur Psalmis additum Gloria Patri &c.*

4. Additum est in fine cuiusque Psalmi *Gloria Patri, &c.* ex institutione Damasi. Et hoc versu manifestè distinguimur à Judæis, Paganis & Hæreticis SS. Trinitatem negantibus. Conformamur verò Angelis, qui quotidie canunt Deo Trino & Uni. Vult etiam Ecclesia nos semper esse memores finis nostri ultimi scilicet visionis ac fruitionis Dei Trini & Unius. Non dicitur *Gloria Patri* in triduo majoris hebdomadæ, quia in Passione Christi visa est SS. Trinitas obscurari, & tunc maximus luctus est in toto anno. Qui, quia quoque est in officio Defunctorum, & tunc justè etiam mortis Christi memo-

memoria recoli potest, in eodem pariter *Gloria Patri* omittitur. Quia hic lætitiæ versus non nisi à summo luctu excluditur. Et cur non mors cujuslibet fidelis reficere memoriam mortis Christi, quam ille amore nostri perpeffus est? cùm Resurrectio Christi & nostræ resurrectionis infallibile sit argumentum, scd. Usus ejusdem Psalmi in pluribus festis ad Matutinum est ideo, quia in eo plures & varii versus variis quoque festis accommodati sunt. Et hinc etiam in Vesperis Sanctorum accidit mutatio ultimi Psalmi Dominicalium; quia mox hic, mox ille Psalmus est conformior festo. Standum autem esse ad Psalmos probat ex Petro Damiani Baronius, ut ex statione corporis demonstramus affectum mentis, & paratos nos esse sive ad demandam carnem nostram, sive ad exercitium operis, quod innuit Psalmus in causa nostra & fratrum. Stantes etiam & vigilantes in operibus bonis facilius vincimus hostes.

17. *Quid Canticum? septem Cantica in Breviario ex veteri, & tria ex novo testamento.*

**D**E Canticis nota sequentiâ. 1. Teste Euthymio Psalmus est carmen cum instrumento psalterii. Canticum est vox musica cum harmoniâ ore solo prolatâ. Mysticè Psalmus bona opera, Canticum gratiarum actionem significat. Primus Autor Cantici est Moyses. Fuit Cantici usus apud Apostolos juxta c. 3. ad Coloss. 2. Septem Cantica habentur in Breviario ex Script. veteri. *Primum, Cantemus Domino;* quod

quod est Moysis Anno mundi 2544. V. c. 15. Exod. & dicitur in Laudibus Fer. 5. *Secundum. Audite cali, quæ loquor.* Quod quoque est Moysis Anno mundi 2583. & dicitur in Laudibus Sabbatho. V. C. Deuter. 32. *Tertium. Exaltavit cor meum,* quod est Annæ matris Samuelis Anno mundi 2904. V. C. 2. lib. 1. Regum. Et dicitur in Laudibus Fer. 4. *Quartum. Confitebor tibi Domine,* quod est Isaïæ Anno mundi circiter 3314. V. C. 12. Isaïæ, & dicitur in Laudibus Fer. 2. *Quintum. Ego dixi in dimidio dierum meorum,* quod est Ezechix Regis Anno mundi 3322. V. C. II. 38. & dicitur in Laudibus Feria tertia. *Sextum. Domine audivi auditionem tuam,* quod est Habacuc. Anno mundi circiter 3351. V. C. 3. Habac. & dicitur in Laudibus Fer. 6. *Septimum. Benedicite omnia opera,* quod est trium puerorum Anno mundi 3462. V. C. 3. Dan. & dicitur in Laudibus Dominicæ. Causas, cur Cantica alio ordine posita sint in Breviario, quàm juxta tempora mundi, quibus cantata sunt V. in Gav. hinc c. 9. hoc solum hic meminisse juvat; quod Canticum *Benedicite* dicatur in Dominica; quia tunc universa creata sunt, quæ invitantur in hoc Canticum ad laudandum Deum. Feria 6. Canticum *Domine audivi.* Quia per verba *Cornua in manibus ejus* indigitatur Crux. Sabbatho Canticum *Audite cali* in memoriam prisce religionis; in quo universus status Ecclesiæ & populi hebraici describitur teste Beda. Et sic adhuc verum manet in religione Christiana illud Apost. Act. 15. quodd

quòd Moyses per singula Sabbatha prædicetur in singulis urbibus. Canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera*, præterea dicitur in omnibus festis, quia festivius est præ cæteris.

In Breviario habentur præterea tria alia Cantica ex Evangelio, B. M. V. *Magnificat anima mea Dominum*. V. Luc. c. 1. cantatum est felicissimè Anno mundi 4051. dicitur indies in Vesperis. *Benedictus Dominus Deus Israel*, est Zachariæ pronuntiatum eodem anno mundi. V. Luc. c. 1. & dicitur indies in Laudibus. *Nunc dimittis*. V. Luc. c. 2. est Simeonis Anno mundi 4052. & dicitur indies in Completorio. Tria hæc Cantica dicuntur Evangelica, quia sunt pars textûs Evangelii S. Lucae. Et ideo stant omnes, dum hæc dicuntur, ut fit ad Evangelium in Missa.

18. *De Versibus, Absolutionibus & Benedictionibus.*

*V*ersus à vertendo dicitur, nam eum cantantes vertebant se ad orientem ad Altare. De iis nota præterea sequentia. 1. Versus compositi sunt, ut excitentur corda canentium ad requirendam faciem Dei in oratione, & attentos faciant ad id, de quo immediatè post agit officium, ubi Sessio facillè negligentiam pareret. Excitamur etiam ante Cantica Evang. in Laudibus, Vesperis, Completorio ad per etrandos eorum sensus per Versus. Ante orationem versò & in commemorationibus adhibentur Versus, ut oratio ferveat. 2. In Paschate & ejus  
Octa-

Octava non habentur Versus in horis ut alias : quia tanta est festivitas cum brevitate officii conjuncta ; ut non egeamus stimulis. Tempore verò Paschali additur utrique parti Versus *Alleluja* ad majorem lætitiã exprimendam. Versibus tamen , qui habentur in precibus , non additur *Alleluja*. Quia in his attenditur potiùs ratio humilitatis & mœroris de peccatis nostris , quàm lætitiæ. De Absolutionibus & Benedictionibus nota sequentia. 1. Absolutio dicitur , vel quia eã absolvitur nocturnum , vel quia simul cum præcedente oratione Dominicã petimus mundari corda nostra ad audiendum verbum Dei in Lectionibus ; vel denique absolutiones post quemlibet Nocturnum appellantur sumptâ denominatione à nobiliori , quæ dicitur in 3tio Nocturno , in qua verba hæc sunt : *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat. &c.* 2. Lector petit benedictionem , & humilitatis gratiã dicit *Domne* non *Domine* , quia teste Baron. hic Dei titulus est , ille hominis præclari. Tempore S. Hieron. viri sancti & alii homines vocabantur *Domni*. Solus autem Deus *Dominus*. Solus officium recitans dicit *Sube Domine* mente ad Deum directã. 3. Absolutiones & Benedictiones fiunt numero ternario in honorem SS. Trinitatis.

19. *De Lectionibus in genere & specie.*

**D**E Lectionibus nota sequentia. 1. Lectiones inde dicuntur , quòd legantur & non cantentur ut Psalmi. Apud Hebræos certis diebus

bus in Synagogis legebatur de Lege & Prophetis. Christus legit pariter Luc. 4. Sic legebatur Act. 13. Pro Lectionibus Breviarii Hieronymus Damasi jussu composuit ita dictum *Lectio-narium*, sicut & expost S. Gregorius M, ita dictum *Sacramentarium*. In Conc. Laodic. Can. 17. decreta fuit Lectio post Psalmos vel longa ut in Matutino, vel brevis ut in aliis horis. 2. Numerus Lectionum nec fuit major novem, nec minor tribus Lectionibus. Per novem conjungimur Choris Angelorum. Tres designant tria prædicationis tempora ante legem, sub lege, & tempore gratiæ. Cùm Psalmi opera bona significant, & Lectiones doctrinam. Equales Psalmi & Lectiones docent æqualiter in nobis convenire debere verbum & opus. Profesta Symbola sunt antiquæ legis, festa novæ. Quia ergo in antiqua lege respectu novæ pauci erant Prædicatores. In pro festis tantùm tres, in festis novem sunt Lectiones.

*Lectiones primi Nocturni.*

3. **C**ur libri S. Script. in hunc, quem habemus, ordinem anni tempora ac menses in primo Nocturno distributi sint. Variis opinionibus rejectis à Gavanto allatis hoc mihi formo systema. In Adventu legitur Isaias, quia nullus Propheta apertius locutus est de Nativitate Domini. A Natali Domini usque ad Septuagesimam leguntur Epistolæ Pauli, quia dum repræsentatur Christus in mundo, novi testamenti

menti præcones audiri debent. A Septuages. ad Dom. Passionis ex lib. Gen. Exod. quia passionem Domini celebraturi recurrere debemus ad Adæ peccatum, casumque humani generis & varias ob peccata eidem inflictas pœnas. Dumque legitur de Patriarchis Abraham, Isaac, Jacob, quasi ex diversis ætatibus Choros Patrum ad Christum deducimus. In Passione Jeremias legitur, quia multa de eadem narrat. Post Pascha Actus Apostolorum Apoc. & Epistolæ Apostolorum, quia virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Christi. Post Pentecosten usque ad mensem Augustum libri Regum ponuntur; ut resumatur ordo historicus à Gen. Exod. &c. ad libros Regum. Libris Regum lectis, quasi exemplaribus agendorum vel vitandorum à nobis, pro Augusto mense sequuntur libri doctrinales scilicet Prov. Eccles. Cant. Cantic. Sap. Eccli. Expost pro mense Septembri redeunt denuo exempla ex lib. Job. Tob. Jud. Esther. Et pro mense Octobri Machabæi varias exemplis suis virtutes edocentes. Et quia ad perfectionem virtutum pervenitur continuâ hâc vicissitudine doctrinæ scilicet & exempli. Hinc pro mense Novembri doctrinales denuo succedunt libri Prophetarum. Ezech. Dan. duodecim Prophetatum. Qui & absque eo commodè in Novembrem rejiciuntur; quia sæpè loquuntur de adventu Messæ, quem in Decembri proximo celebramus.

*Lectioes secundi Nocturni.*

410. **P**RO secundo Nocturno Gelasius Papa decrevit posse delumi Lectioes ex SS. Cypriano, Chrysof. Hilar. August. Hieron. Isidoro, Leone, &c. Primæ historiæ de sanctis in officio habuerunt Autores Paulum Diaconum, quem ad id instigavit Carolus M. Imperator, & Usuardum Monachum, qui vivebant circa annum Christi 800. ita Polyd. Virgil. Lectioes, quas modò habemus ex Sanctorum historiis à Cardinalibus Bellarm. & Baronio recognita & approbatae sunt sub Clemente VIII. qui rejecerunt varia, minima quâ fieri potuit Lectioem mutatione. Nam quæ erant controversa, reliquerunt, si alicujus gravis Autoris testimonio suffulta aliquam haberent probabilitatem. Hinc incertiam suam probat, qui ex hoc, quod hæ illæ historiæ Breviario insertæ sint, vult eas probatas esse infallibili quasi judicio Ecclesiæ, v. g. de Baptismo Constantini, corpore S. Bartholomæi ubi asservetur, Marcellini Papæ lapsu, de familiis Sanctorum aliisque, quæ viri docti & probi impugnant, aut de quo certa ab incertis fabulas à veris historiis secernere cupientes amore veritatis meliores probationes expetunt. Sicut enim historia profana ita vel maxime sacra debet esse Magistra veritatis. Temerè tamen & sine sufficiente fundamento historiæ communiter receptæ aut Breviario insertæ impugnari non debent. Bonorum criticorum solidum fundamentum.

mentum est, quod si coævi his illis Sanctis Auto-  
res, aut paulò post secuti nihil de hoc illo me-  
minerint, fidem non inveniunt, qui hæc illa  
post integra prius sæcula evoluta narrant, nec  
illum ex antecessoribus alicujus autoritatis Scri-  
ptoribus in rei narratæ testem citant, aut citare  
possunt. Porrò textus Læctionum 2 di Noctur-  
ni ex SS. PP. desumptarum diligenter collati  
sunt cum eorum libris M. S. & melioris notæ  
impressis.

*Læctiones tertii Nocturni.*

§. **P**RO tertio Nocturno Evang. cum homilia  
legitur, quia id, ut jam aliàs dictum, re-  
præsentat tempus gratiæ & copiosam Evangeli-  
cam doctrinam, ejusque explicationem. Porrò,  
*Homilia* græcè, *sermonem* & *colloquia* sonat la-  
tinè. 6. Ad Læctiones sedetur, vel silendo sta-  
tur ad majorem ad eas attentionem præben-  
dam. 7. Demum in fine Læctionis dicitur: *Tu*  
*autem Domine miserere nobis*, non *Domne*; ut  
ante Læctionem. Quia tunc cum Deo loquitur  
Læctor, & per deprecationem illam indicat,  
ipsum perlegendi officium sine alicujus saltem  
levis culpæ pulvere vix peragi posse. Chorus  
succinit: *Deo gratias*. Quia agimus gratias  
Deo, quòd panem doctrinæ nobis frangere  
dignatus sit. Et idem ideo etiam respondetur  
in fine omnium Capitulorum.

## 20. De Responsoris &amp; Capitulis.

DE Responsoris nota sequentia. 1. *Respon-*  
*sorium* à respondendo dicitur. Vel quia Re-  
 sponforia correspondent Lectionibus tristia tri-  
 stibus, lata lætis, vel quia uno vel pluribus ca-  
 nentibus Chorus consonando responderet. Vo-  
 catur etiam Responforium *Historia*, quia pro-  
 sequitur historiam S. Script. in præcedente Le-  
 ctione lectam. Significat etiam *Affensum eo-*  
*rum*, qui audierunt Lectionem, item *spiritua-*  
*le Canticum* ad sublevandos inter legendum ani-  
 mos. Est etiam *gratiarum actio* de beneficio  
 per Lectiones collato. Et quia laus Dei, pro-  
 positum doctrinam sequendi in Lectione pro-  
 positam, talisque doctrinæ assensus repeti de-  
 bet; ideo repetitur Responforium, & in fine  
 additur *Gloria Patri*. Quòd addi præcepit  
 Conc. Tolet. 4. Can. 15. eâ lege; ut id festivo  
 ac lato tempore dicatur. In tristiori verò re-  
 petatur initium Responforii, quod observatur  
 in Dom. de Passione. Tertio autem potissimum  
 Responforio additur *Gloria Patri &c.* In primo  
 & secundo Nocturno & in tertio Nocturno, quia  
 antiquitus nona Lectio semper erat de Trinita-  
 te, cui respondebat nonum Responforium de  
 eadem. Lectione illâ abrogatâ translaturum est  
 illud Responforium nonum in octavum, & lo-  
 co noni Responforii succedit *Te Deum* in lau-  
 dem SS. Trinitatis vice lectionis de eadem. 2.  
 Unus inchoat Responforium cum versu, ceteri  
 repetunt. Ut id ipsum dicamus omnes, & non  
 sint

sint in nobis schismata, 3. In Responsoriiis brevibus adduntur duo Alleluja tempore Paschali & aliquibus festis nobilioribus ad pleniorē lætitiā indicandā. Responsoria pleraque digessit S. Greg.

*Capitula* ( alias *Lectionuncula*, *Lectiones breves*, *Versiculi parvi*, *capitella collationes* ) inde dicuntur, quia ut plurimum in festis sumuntur de capitulis Epistolarum, quæ leguntur in Missa. Capitula ad *Tertiam* plerumque sunt initia. Ad *Sextam* quasi mediulla. Ad *Nonam* terminationes Epistolarum. Sicque Ambrosius disposuit. Conc. Agathense Can. 21. jussit ea dici post psalmodiam, ubi & ea *Collectiones* vocat. Beda ait morem hunc inolvissē in Ecclesia ab Esdra desumptum. Cujus tempore quater de nocte, & quater de die convenientes Hebræi cum sacra Biblia legentem audiebant. Et nos quasi quater de nocte, id est, ad Vesperas, Completorium, Matutinum, & Laudes, & quater de die ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam Capitula ex S. Script. legimus.

21. *De Oratione.*

**D**E Oratione nota sequentia. 1. Unica Oratione communiùs habetur pro omnibus horis, novissimum in horis locum tenet ut divina gratia, quæ actiones nostras præcessit, etiam subsequatur, & unusquisque tali scuto ad alia se convertens negotia muniatur contra omnia adversa & Diabolum. Brevis esse solet, ne juxta illud Matth. 6. *multum loquentes oremus.*

Plurimas ab Ambrosio compositas adxit Gelasius. S. Gregorius collegit, & per dies ac festa distribuit. Cujus etiam operâ semper concordant cum officio & Evangelio. 2. Ante orationem dicitur *Dominus vobiscum*, quæ verba à Dionys. in Eccles. Hierarch. appellantur *divinissima salutatio* desumpta ex libro Ruth c. 2. & 2. Paral. c. 15. cujus efficacia est à Christo dicente Matth. ult. *Ego vobiscum sum*. Apostoli hunc morem introduxere, & Pontifices decreto firmavere. Dicitur ad excitandam animorum attentionem. Sensus ejus est; ut *Domine* reverentiam instillet, *Domine vobiscum* votum explicet, ut in nobis maneat, & petitionibus nostris effectum tribuat. Subditur, *Et cum Spiritu tuo*. Per quæ verba populus idem optat Sacerdoti quod ipse populo. Desumptum ab Apostolo 2. Tim. ult. nec dicitur *tecum*, sed *cum Spiritu tuo*. Quia spiritu psallendum est, & Spiritus fervoris, intentionis, attentionis adesse debet. Non dicitur *Dominus vobiscum*, nisi à Sacerdote, vel Diacono, absente aut licentiam dante Sacerdote. Et quia pertinet ad dignitatem ordinis, quâ excommunicatus indignus effectus est, is hanc salutationem etiam in privata officii recitatione uti non debet, sed loco ejus dicere: *Domine exaudi orationem meam*. 3. Additur *Oremus* ante publicam orationem juxta August. ut invitentur alii ad orandum. Repetitur post orationem *Dominus vobiscum*. Sicut Christus semel & iterum dixit *Pax vobis*. Sacerdos orationem dicens vices Christi gerit, & hinc regulariter stat.

Quod

Quod etiam fit ob memoriam futuræ resurrectionis. 4. Concluditur Oratio variis modis ut plurimum per Christum, quia plerumque dirigitur Oratio ad Patrem. Antiquitus non dirigebatur ad filium. Quod teste Bellarm. factum deinde est ob insurgentes hæreses, ut ipse quoque Filius credatur Deus. Nunquam dirigitur ad Spiritum S. quia donum Dei est, & à dono non petitur donum, sed à donatoribus, à quibus procedit. Prout jam dirigitur, sic & concluditur oratio. Hoc tamen commune est omnibus conclusionibus, ut semper in iis fiat mentio SS. Trinitatis, & intelligamus nullum fieri præjudicium divinis personis, de quibus in ipsâ oratione non fit mentio. Dum consummatio ostendit nullum discrimen esse in SS. Trinitate. In fine additur *Amen*, quæ vox hebræa, nunquam mutata nec à Græcis nec à Latinis, usurpata ab Apostolis 1. Cor. 14. significat tam multum ac *fiat*. Origenes cum Ambrosio dicit significare tam multum ac *verum est*. Et hoc sensu concordat potius cum conclusione orationis, quàm oratione ipsâ. Quali affirmetur verum esse, regnare Deum in unitate Spiritûs S. Innoc. III. l. 2. de myst. Missæ c. 26. 5. Quando plures in officio dicuntur orationes, si quid inter eas intercedit, puta Antiphona pro commemoratione, ad singulas orationes præmittitur *Oremus*. Ut rursus invitatio fiat ad orandum. Quando una immediatè sequitur alteram, ut in Litaniis, non dicitur *Oremus* nisi ad Primam. Quia oratio non interrumpitur, sed

velut una continuatur. Demum prima oratio concluditur in Laud. & Vesperis, quia est principalis, ad quam dirigitur totum officium. Ultima item concluditur, quia colligit medias, & præcedentes firmat suâ conclusione.

22. *De Precibus, Commemorationibus, & Suffragiis communibus Sanctorum.*

**D**E Precibus nota sequentia. 1. Preces sunt aliqui Versus. Dicuntur subin ante orationem, & incipiunt à *Pater noster* vel à *Kyrie eleison*. Quia ante orationem invocari debet divina misericordia. Dicitur autem *Kyrie* ter invocando trinas in Deitate personas. A Græcis primùm preces compositæ sunt. Hinc retentæ sunt primæ græcæ voces *Kyrie &c.* Ad Primam & Completorium multiplicantur preces, ut per diem ac noctem à malis imminentibus liberemur, & nos coram Deo in principio & fine diei humiliemus, & ostendamus, quòd, si quotidie cadamus in defectus, etiam quotidie per preces ad Deum suscitamur resurgere. In Dominicis & Festis dicuntur stando ob memoriam Resurrectionis Dominicæ. 3. Dantur etiam preces flebiles, & dicuntur in Quadragesima, in Vigiliis, Feriis ad Laudes & Vesperas flexis genibus in Choro.

Commemorationes vocantur memoriæ vel suffragia, & fiunt ad recolenda Sanctorum merita, & ad impetrandum eorum patrocinium. De Cruce est prima, licet titulus Ecclesiæ esset SS. Trinitatis. Quia dum dicitur, signum est, quòd

quòd officium sit de Feria, cui convenit Crucis meditatio. Pius V. commemorationem de B. V. desumpsit ex August. sermone 18. de Sanctis. *Sancta Maria succurre miseris.* De duobus Apostolis tanquam fundamentis Ecclesiæ fit commemoratio, dein de Sancto, qui est Patronus Ecclesiæ, ad quam pertinet, vel de fundatore ordinis, cui transcriptus es. Non separatur Petrus à Paulo, sicut nec in vita nec in morte, ità nec in Festis, nec in hac communi commemoratione. De pace fit ultima commemoratio, quia, qui pacem dedit, omnia bona uno verbo dedit. Et ultimum, quod expectamus à Deo, est pax æterna. Pro qua obsecramus Deum per D. N. J. C. Hæ commemorationes omittuntur initio Adventus, ut soli Christo adveniendi vacemus (rationem aliam infra V. de Adventu) item tempore Passionis, ut uni Christo crucifixo vacemus. In officio Festorum celebriorum vel duplicium ad indicandam hanc festivitatem, sicut ideo in festis majoribus omittuntur commemorationes SS. quorum Festa sunt de Off. simplici.

23. *De Symbolo Athanasii, & Martyrologio.*

Sanct. Athanasius juxta varios Romæ scripsit hoc Symbolum, & coram Pontifice, eique assidentibus recitavit teste Baron. Anno Christi 340. recitatur autem, ut articulorum Fidei non obliviscamur, & semper quasi de ea triumphemus juxta illud: *Hæc est victoria, qua vincit mundum, Fides nostra.* In Dominicis, in quibus

bus non dicitur; earum Festa non sunt propriè Dominicalia. In Paschate etiam ideo non dicitur, quia in futura vita per festum Paschale denotatâ totum habetur, quod nunc creditur. Abstinemus etiam ab eo in Natali Domini, Epiphaniâ, Ascensione, Festo Corporis Christi, & Pentecost. quia tunc hæc ipsa mysteria quasi oculis cernimus. In Festo SS. Trinitatis dicitur, quia doctrinam de SS. Trinitate continet. In fine additur *Gloria Patri, &c.* ut in Psalmis. Quia more Psalmorum cantatur, & declarato mysterio SS. Trinitatis æquum est, ut eidem gloria detur.

De Martyrologio V. Baron. in præfatione ante Rom. Martyrol. S. Clemens per septem Notarios Romanos curavit describi acta Martyrum, quibus in ordine ad eundem finem septem Subdiaconos addidit. Fabianus Papa & aliæ Ecclesiæ id imitatae sunt. Periere multa in persecutione Diocletiani, qui edicto generali ea igni tradidit. Fiebat autem quotidie ad Altare Dei commemoratio Martyrum & Sanctimonialium, & pridie teste S. Aug. recitabantur eorum nomina. Vocabantur etiam *Tabula Ecclesiastica, Martyrum Fasti* à Tertull. lib. *de corona militis* dicti. Solebant tunc mutuâ inter se caritate gaudere Christiani, & convivium celebrare, quod quoque *Agape* vocabatur, seu *Sacrum Epulum natalitium*. Itâ Greg. Nazianz. Martyrologii Romani nescitur Autor. Fuit ante S. Greg. ut apparet ex ejus Ep. 29. c. 27. S. Hieron. Beda, Ufuardus, aliique multa addidere.

Gavantus dicit in M. S. legisse se loco Martyrologii *Datarium Calendarii*. Continet autem Martyrologium Rom. ex omni orbe collectos Martyres, quia Romana Ecclesia ut mater omnes complectitur. Dum ex eo ad *Primam* primus exprimitur, de quo sequenti die faciendum officium. Subditur: *Pretiosa in conspectu Domini, &c.* & invocantur cum B. V. omnes Sancti, quorum suffragiis elevamur ad Deum Trinum repetito ter versu *Deus in adiutorium*. Eumque secretò precamur oratione Dominicâ & versu Davidico *Respice in Servos*. Subjectâ denique oratione in omnibus die toto dirigi postulamus.

24. *De fine Officii, Oratione, Antiphonis quatuor & Versibus.*

**N**Ota sequentia. 1. Horarum finis solet post orationem fieri per versum *Benedicamus Domino*. 2. *Deo gratias*, adeoque finis est Benedictio & gratiarum actio. Quia Christus discedens ab Apostolis iis benedixit, & illi in gratiarum actionem illum adoraverunt. Pietas etiam Ecclesiæ erga Defunctos est ista, ut, peracto officio ad utilitatem vivorum, statim suffragetur Defunctis, sive animabus in purgatorio detentis versu finali addito *Fidelium anima, &c.* Dictâ demum oratione Dominicâ pro fine horæ additur versus *Dominus det nobis suam pacem*. Qui apud antiquos semper in usu fuit. 2. Post hæc sequitur una ex Antiphonis B. V. quæ non inveniuntur apud antiquos. Romæ receptæ sunt

sunt sub Greg. IX. & Innoc. IV. *Alma redemptoris* autorem habet Hermannum Contractum. *Ave Regina* habet innominatum autorem. Verfus eidem additus, *Dignare me*, est à S. Ephrem. *Regina cali* Angelis adscribitur ex antiqua traditione. Qui dum circumlatâ imagine B. M. V. à S. Luca depictâ in Processione à S. Greg. tempore pestis institutâ canerent: *Regina cali letare Alleluja*, *Quia quem meruisti portare Alleluja*, *Resurrexit sicut dixit Alleluja*, continuò S. Greg. M. subjunxit: *Ora pro nobis Deum Alleluja*. Ut in ejus vita narratur.

Salve Regina vel est à Petro Compostellano vel Hermanno Contracto. Hanc Antiphonam piis commentariis illustravit S. Bernardus & eandem auxit ultimis his verbis: *O clemens*, *O pia*, *O dulcis Virgo Maria*. Greg. IX. decrevit prædictam Antiphonam recitari in Matut. & Vesperis Anno 1239. in Brev. antiquis non invenitur, benè tamen in Brev. Cardinalis S. Crucis edito sub Paulo III. Navarrus de orat. c. 19. narrat eam cantatam esse ab Angelis in Roncavalle, & appellari cantionem nauticam. Quia Nautæ habent eam frequenter in ore contra naufragia. Dicitur potest una ex Antiphonis his pro tempore quo præscribuntur ex devotione post quamlibet horam. Una debet dici, si officium simul totum non ores, semel post primam horam, quam constituunt *Matutinum & Laudes*, & semel post ultimam scilicet *Completorium*, ut devotio nostra cum invocatione B. M. V. (per quam omnia nobis beneficia confert Deus) jugiter concludatur. §. 4tus.

## §. 4tus.

## De Proprio de tempore circa horas.

## 25. In Adventu.

EX Gav. Sect. 6. à c. 1. nota sequentia. 1<sup>mo</sup>.  
 Omittuntur suffragia Sanctorum. Nè ante  
 Christum natum videamur implorare eorum  
 opem; quos ipse Christus adventu suo sanctifi-  
 cavit. Nec fit commemoratio Crucis; ne vi-  
 deatur passus, antequam natus. Nec de pace,  
 quæ ante ejus nativitatem non fuit inter Deum  
 & homines. Sed eo nato promulgata est ho-  
 minibus bonæ voluntatis. Et hinc etiam divina  
 sic disposuit providentia, ut circa Christi nati-  
 vitatem pax esset in universo mundo, ideoque  
 templum Jani Romæ clausum. 2<sup>do</sup>. Post pri-  
 mam Lectionem Dom. 1. Adventus primi No-  
 cturni singulare quid præ cæteris habet Respon-  
 sorium primum, quod incipit: *Aspiciens à lon-  
 gè*. Habet enim tres Versus, quod nullum ha-  
 bet Responsorium; & hi dicuntur nomine  
 trium ordinum; qui ante legem scriptam in le-  
 ge & post legem Salvatorem venerantur. Qui-  
 bus additur *Gloria Patri*, (quod aliàs tantum in  
 tertio Responsorio dicitur) in laudem sanctissi-  
 mæ Trinitatis, quæ tandem Messiam in terras  
 mittit. Repetitur à capite Responsorium, quia  
 denuò à fidelibus expectatur Adventus Domini  
 in judicio. 3<sup>tio</sup>. In Dom. 3. Adv. mutatur In-

vitorium, quod concordat cum Capitulo Vesperatum & Laudum, ad excitandos animos erga Christum venientem. 4<sup>to</sup> Antiphonæ majores, sive illæ, quæ septem diebus ante Nativitatem Domini recitantur, incipientes ab O, recitantur *ad Vesperas*, quia Christus expectabatur ad Vesperam mundi. Dicuntur *ad Magnificat*, quia adventus Christi maximè concernit B Virginem cantici *Magnificat* auctricem. Duplicantur ex integro hæ Antiphonæ ad explicanda iterata suspiria SS. PP. & Patriarcharum. Sunt autem septem numero Antiphonæ ad significandam septiformem per Christum Spiritus S. gratiam, & septem humani generis miseras in memoratis Antiphonis indicatas. Quorum causâ indigemus Doctore contra ignorantiam, redemptore à pœnis æternis, liberatore à servitute Diaboli, eductore à consuetudine peccati, illuminatore variarum animi tenebrarum, Salvatore ad reducendos exules in patriam tam gentes, ut sexta Antiphona meminit, quàm Judæos, ut septima. Sicut autem in Adventu, ita & in Sabbatho S. oratur ultimò pro Judæis. Quòd confirmat antiquam traditionem, Judæos prius circa finem mundi ad Christum convertendos, ut unum simul ovile faciant. Porro hic numerus Antiphonarum septenarius desumptus est ex II. c. 11. Præcedunt has majores Antiphonas peculiare alia ad Laudes, quasi preparatorie ad majores. Ut præparemur ad renovandum spiritum mentis nostræ ratione Adventus Domini.

26. De Vigilia & Natali Domini,  
eiusque Octava.

EX Gav. Sect. 6. de proprio de tempore c. 4.  
& 5. noto seqq. 1<sup>mo</sup>. Cum Vigilia hæc  
sit illius festi, quod est initium salutis nostræ, ju-  
re cum exaltatione celebranda est. Et hinc of-  
ficium est partim [ scilicet in *Matutino* ] feria-  
le, quia Vigilia est, Partim festivum, scilicet à  
*Laudibus*. Communiter flectuntur genua ad  
ea verba *In Bethlehem terrâ Judæ* usque ad hæc  
*Secundum carnem*. Sicut ad *Incarnatus est, Ver-  
bum caro factum est*. Humiliato enim ad terras  
Deo, & nos profundius solito humiliari decet,  
2<sup>dò</sup>. In Natali Domini Lektionen primi Noctur-  
ni leguntur sine titulo, quia jam non per Pro-  
phetas, sed in & per Filium præsentem nobis  
loquitur Deus attestantem ea, quæ de ipso Pro-  
phetæ edixerunt. Responsorialia sunt quasi Xe-  
nia, quæ deferuntur partim puero nato, partim  
Deiparæ. In primo Responsorio additur *Glo-  
ria &c.* in gratiarum actionem pro tanto bene-  
ficio. In tertio Nocturno multiplicatur Allelu-  
ja ad Antiph. quia ut alibi dictum tertium No-  
cturnum significat tempus gratiæ, adeoque in eo  
nobis intimari debet lætitia per Christum com-  
municata. 3<sup>tiò</sup>. Dividitur Matutinum à Lau-  
dibus, & inter utrumque cantatur Missa. Quia  
Matutinum olim vocabatur *Nocturna*, & Lau-  
des *Matutina* ad diem potius inchoantem, quàm  
noctem pertinens; & hinc congruè, cum pri-  
ma Missa fiat de nocte, ea cantatur ante Laudes.

410. Antiphonæ in secundis Vesperis Nativitatis *Tecum principium &c.* sunt privilegiatæ cum Psalmis, ut scilicet nunquam omittantur infra Octavam hanc, nec fiat sola ejus commemoratio, ut mos est in Octavis aliis, quando officium integrum habetur de festo sequente. Et hoc partim fit ob gaudiosum toti mundo mysterium Nativitatis Christi, quod aliarum festivitatum initium est, adeoque diu recolendum. Partim quia infra Octavam Nativitatis admittuntur quotidie festa Sanctorum, quæ ab Octava Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi vel omninò excluduntur, vel parçè admittuntur. 510. In festo SS. Innocentum non dicitur *Te Deum* ob lacrymas matrum. In Dominicâ verò & octavâ die dicitur. Quia Dominica, in quam incidit festum SS. Innocentum, est extra tempus illud, quo in Dominica non dicitur *Te Deum*; & per se dies Dominicus lætitiâ Resurrectionis Christi exhibet, quæ omnes absorbet lacrymas. Et quia dies octava semper beatitudinem significat omnes pariter absorbentem lacrymas, hinc in die Oct. festi SS. Innocentum, *Te Deum* quoque dicitur. Eadem esset ratio teste Gav. si titulus Ecclesiæ esset SS. Innocentum. Nam & tunc non esset dolendum, & ideo quoque tractus omittendus. 610. Circumcisionis festum institutum post tempora S. Greg. Antiphonæ probant simul esse festum B. V. idem confirmat Oratio *Deus qui salvas.*

## 27. De Epiphania.

Noto ex Gav. l. c. c. 7. sequentia. *Primò.*  
 Matutinum inchoatur ex abrupto ab Antiphona & Psalmo. Quia visâ stellâ statim venerunt Magi, licet muto, nec loquente nuntio invitati. Omititur etiam Invitatorium ad detestandam fraudulentam Herodis, quâ is à Magis de loco Nativitatis Regis Judæorum instruit, & invitari volebat ad eum adorandum. Hymnus non cantatur primo die, quia perfectorum est canere Hymnos. Conversio verò gentium in solis Magis nondum perfecta erat. Infra Octavam verò dicitur Invitatorium nomine Magorum alios invitantium ad adorandum Christum. In principio tertii Nocturni cantatur Psalmus *Venite* ad indicandum. Quòd tempore gratiæ per tertium Nocturnum significato invitata sit Ecclesia ex gentibus congreganda per Magos & stellam. Antiphona *Venite, adoremus* sæpius repetitur tum ad designandum desiderium; ut undique omnes confluant, tum quia in lege gratiæ magis invitantur & adducuntur homines ad confitendum Deum; quam in lege naturæ & scriptâ. *2dò.* Infra Octavam pro Psalmo *Venite* substituitur alius, ne idem Psalmus bis dicatur, in Invitatorio scilicet, & tertio Nocturno. *3tò.* Si Octava Epiphaniæ incidat in Dominicam, officium de Dominica fit in Sabbatho, in qua Evangelium est de Christo duodenni, dein sequenti die de Octava, in qua Evangelium est de Christo tricenario. Nam si in eodem die

Octa-

Octavæ fieret simul commemoratio Dominicæ, ordine perverso ætatis ac vitæ Christi, quæ ab Ecclesia in officio divino per annum repræsentatur, Christus prius legèretur trigésimum vitæ annum habens, antequam repræsentetur duodennis.

28. De Septuagesima & Feria 4ta Cinerum.

**N**Oto seqq. ex Gav. l. c. à c. 9. *Primo.* Non dicitur in Septuagesima *Alleluja* bis eo cantato & repetito in fine primarum Vesperarum. Quia in iis adhuc insinuatür gaudium humani generis ob Christum natum. Ex post autem in Septuagesima repræsentatur sine Christo humanum genus peccato Adæ per traducem obstrictum. Melius fors tibi videretur servari ordo, si Nativitati Christi præmitteretur memoria lapsus Adami, Sed quia Ecclesia conatur in omnibus servare ordinem, vel maximè debet se accommodare anni temporibus, quibus circiter fidei nostræ mysteria contingere. Quia ergo peccatum Adæ probabilius contigit circa ver, sicut & verno tempore passio & mors Christi. Hinc sicut Nativitati Christi in Decembri factæ præmittit Adventus tempore suspiria Patrum in limbb, ita & in Septuagesima memoriam peccati Adæ. Pro quo omnique originali ac actuali peccato Christus passione ac morte suâ infinitis satisfecit. Porro licet per *to Laus tibi Domine* æquè laudetur Deus, ac per *to Alleluja*. Primum tamen apud Latinos non est exultantis præcisè signum, sicut secundum apud Hebræos fuit,

fuit, sed humiliori quodam modo laudes Dei ingerit. 2do. Feria 4ta Cinerum nulli cedit festo, quia eo die convenit, ut populus Christianus publica det indicia pœnitentiæ, nec ullos festivos agat dies.

29. *De Quadragesimali tempore.*

**N**Oto ex Gav. l. c. sequentia. *Primò.* In Quadragesima dicuntur in Choro [ cui laudabiliter extra Chorum nos accommodamus ] Vesperæ ante plenam refectioem sive prandium, quia antiquitus solvebatur jejunium in Quadragesimâ horâ Cœnæ post dictas vel cantatas Vesperas. Et licet horam hanc Cœnæ modo anticipemus in prandio, retinemus tamen vocabulum Cœnæ, cui benedicimus eâ prece, quæ adhibetur ad Cœnam *Edent pauperes. &c.* 2do. In Responsoris Dominatum Quadragesimæ continentur, quæ eo tempore nos oportet facere, scilicet corrigere mores, jejunare, plorare, orare, patientes esse, vigilare, pœnitentiam agere, cleêmofynas dare. 3tio. In triduo hebdomadæ sanctæ Invitorium omittitur in detestationem invitationis Judæorum ad conciliabula contra Christum instituenda, & in signum doloris ac compassionis erga patientem & morientem Christum. Adhæc Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum invitare consueverant. 15. candelæ accenduntur in candelabro triangulari ad fidem de SS. Trinitate denotandam, quæ tunc in B. V. 11. Apostolis & tribus piis fœminis vigeat. Suntque candelæ

ex cera communi, non albâ. Quia prior color obscurior fidem quasi nondum splendentem, sed obscuram denotat. Ad unumquemque Psalmum extinguitur una candela, quia Apostoli paulatim defecerunt à Christo. In fine Psalmorum cujuslibet Nocturni dicitur totum *Pater noster* secretò. Quia Christus in passione avulsus ab aliis secretò oravit. Non dicitur *Jube Domine benedicere*, quia Pastor recedit fons omnis benedictionis juxta illud: *Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*. Dicuntur Threni Jeremiæ (ab eo compositi post dirutam Jerosolymam, & templum ejus exustum Anno mundi 3447.) ad designandam mœstitiam. Alphabeto hebraico distinguuntur versus, quia in hebræo versus ipsi à characteribus juxta ordinem alphabeticum incipiunt. Psalmus *Miserere*, & oratio humili voce dicuntur ad designandum Apostolorum timorem. Nec benedictione Sacerdotali, hoc est, *Dominus vobiscum* utimur, quia summus Sacerdos moritur. Fragor fit & strepitus, qui significat vel rebras in Christi morte terræque motum, vel concrepantem fragorem tumultumque Judæ, ejusque cohortis. Occultata candela, & rursus ostensa populo vel designat Virginem Matrem, in qua deficientibus Apostolis adhuc fides excelluit. Vel denotat Christum mox redivivum futurum, vel fidem Ecclesiæ eo tempore occultatam, & brevi lucidiorem futuram. Candelæ Altaris extinctæ cum aliis significant Prophetatum mortem & Judæorum cœcitatem, Demum

in ultimo triduo sine initio inchoatur Matutinum, aliæque horæ, & sine solito non clauduntur. Quia Christus moritur rerum omnium e & w.

30. *De Paschate, ejusque Octava, tempore Paschali, Litanis maj. minoribus.*

**N**Oto ex Gav. l. c. à c. 14. sequentia. 1<sup>mo</sup> Matutinum Paschale constat ex tribus Psalmis & tribus Lectionibus, vel quia hoc numero significantur tres virtutes Theologicæ in hoc mysterio maximè vigentes. Vel quia tridua sepultura recolitur, ex qua resurrectio ortum habuit. Vel dicuntur tres Psalmi, quia in nomine SS. Trinitatis celebratur Baptisma hoc tempore pro Catechumenis. Et tres tantum Lectiones, quia pauci tunc adhuc Prædicatores erant. 2<sup>do</sup>. Non dicitur *Hymnus* ad ulla horas, quia tempus Paschale significat statum Beatorum, quorum *Hymnus* est *Alleluja*. Sicut nec *Capitula*, quia in statu Beatorum non est locus exhortationi, quæ continetur in Capitulis. Et hinc consequenter etiam non dicitur *Responsorium* breve. Nam in horis minoribus correlativa sunt *Capitulum* & *Responsorium* breve; sicut exhortatio, quæ per *Capitulum*, & opus bonum, quod per *Responsorium* significatur. Non dicuntur *Versus*, nisi in *Nocturnis*, ob eandem causam, cum hi significant excitationem animorum, & conversionem ad Deum. Quibus stimulis non indigent Beati. In *Nocturnis* dicuntur *Versus*, quia in nocte timor adest.

adest. Et utcumque tempore Paschali nos viatores representemus statum Beatorum, representamus tamen illum tantum ex parte, & adhuc imperfectè, & ob nocturnam somnolentiam cum versu fugandus est animorum torpor. Dicitur autem loco versuum in Laudibus aliisque horis *Hac dies, quam fecit, &c.* qui Versus desumptus est ex Psalmo, cui titulus *Alleluja*, in signum magnitudinis lætitiæ, & quod in cælo Beati sibi invicem congaudeant & congratulentur. Etiam non dicitur ad Primam Symbolum S. Athanasii, quia in statu Beatorum, qui representantur in Christi Resurrectione, non est fides. In Dominica tamen in *Albis* quasi crescentium arborum frondes multiplicantur Psalmi, & recoluntur mores boni diversorum bonorum operum per plures Psalmos & Lectiones. Dicuntur etiam plures Psalmi, præsertim Feriales sub unâ Antiph. *Alleluja*. Quia sicut, ut jam dictum, multiplicantur Psalmi velut arborum frondes, ita ab una Antiphona hac quasi radice unicâ congruè pendent. Fit tempore Paschali commemoratio de sola Cruce, quia Christus in gloriam Crucis retinuit vulnera in ea sibi inflicta, quæ his diebus, ut docent SS. Evangelia, passim Apostolis aliisque ostendit. Demum in Dominicis post Pascha ex Decreto Gelasii leguntur acta & scripta Apostolica, quia Apostoli voce & opere testimonium reddiderunt Resurrectionis JESU Christi. 3<sup>tiò</sup>. Si occurrant Litiariæ majores in Paschate. Quod factum Anno 1666. & quando Littera Dominicalis est C & Epa-

Epacta 24. vel 25ta. Tunc ea transferendæ sunt in Fer. 3. Paschatis. Transferuntur autem in diem festum, ut populus commodius adsit. Non habentur in die Paschatis, ne populus impediatur Communionem Paschali, nec tritari videatur in tanta solemnitate, & primo quidem Paschatis die adhibito colore violaceo, & Missâ cantatâ de luctu. *Litania* tam multum significat ac *deprecatio*. Tempore Paschali occurrunt *Litaniae majores* festo S. Marci ( licet contingat festum cum ejus Missa transferri ) & *minores*. *Majores* etiam *rogationes* dictæ. Eas instituit Romæ S. Greg. M. [ licet alibi ante ipsum fuerint ] ad S. Petrum ob pestem inguinariam, ex qua tunc moriebantur plurimi. Dictæ etiam sunt hæ *Litaniæ Processiones nigrae*. Quia in signum mœroris & pœnitentiæ homines nigris vestibus induti procedebant, Cruces item & Altaria nigris coloribus velabantur. Dicta etiam est *Processio septiformis*. Quia S. Greg. eam distribuit ad septem Ecclesias in septem ordines Clericorum, Religiosorum, Monialium, Puero- rum, Adolescentum, Viduarum & continen- tium, demum Conjugatorum. De minoribus *Litaniis* V. c. 3. §. 5. n. 13.

31. *De Ascensione, Pentecoste.*

Noto ex Gav. Tom. 2. Sect. 6. à c. 17. se-  
quentia. 1mo. Vigilia Ascensionis non  
habet jejunium, quia tempus Paschale est. Hinc  
etiam admittit *Te Deum*. In Ascensionis festo  
dicitur Antiphona ad quemlibet Psalmum, quia  
festum

festum hoc iter ad cælum representat, ubi fervore caritatis opus est; & quidem semper magis intenso, qui in Antiphonis significatur & excitatur. 2dò. Ob parem cum Paschate solemnitatem, & quia adhuc Paschale durat tempus habet Matutinum in Pentecoste tantum tres Psalmos & totidem Lectiones. Et numerus tunc ternarius percommodè significat Mysterium SS. Trinitatis ob Baptismum, qui in Pentecoste datur. Ad *Tertiam* dicitur Hymnus *Veni Creator*. Quia hora tertia super Apostolos Paraclitus descendit. Et licet quotidie ad eandem horam invocemus eundem spiritum. Convenit tamen hoc die. Ut Hymno longiori & proprio festum invocemus, & ad nos invitemus. Non flectuntur genua Feria 4ta, 6ta & Sabbatho quatuor temporum ad horas, quia tempus adhuc Paschale est, & ideo etiam dicitur *Te Deum*. De aliis per annum tam Dominicis quam Sanctorum festis circa horas nil singulariter memorandum occurrit præter ea, quæ de ipsis attulit. 3. §. 4. à num. 14.

32. *Quomodo hora persolvenda.*

AD extremum ratione horarum ritè persolvendarum opto, ut sæpius rumines illud Pl. 46. *Pfallite Regi nostro, pfallite, pfallite Deo nostro, pfallite, quoniam Rex omnis terra Deus. Pfallite sapienter.* Quinquies hinc repetitur *pfallite*. Motivum adducitur, quia pfallimus Deo & Regi nostro. Modus, quomodo pfallendum, hoc uno verbo *sapienter* exprimitur. Modum hunc

hunc servas, si psallas 1. quoad vocem & linguam *distinctè*. 2. Quoad memoriam *attentè*. 3. Quoad intellectum *intelligenter*. 4. Quoad voluntatem *ardenter & devotè*. 5. Quoad habitum corporis *reverenter*. Porro ad hæc 5. puncta benè observanda multùm contribuit. Si sensus benè custodiantur, & renovetur attentio etiam in qualibet hora per certa intervalla, maxime ad Versum *Gloria Patri &c.* Si præsentia Dei & Angelorum memoriæ firmiter ab orationis initio, & per decursum imprimatur. Si ante vel post Psalmum, Lectionem, &c. brevis aliqua & ignita ad Deum fiat suspiratio. Si ante horas singulas peculiares fiant intentiones, oblationes, quas in charta vel imagine descriptas, & ad horas quaslibet collocatas communiter nostri solent habere in Breviariis suis.

33. *Quid ex horis à tot annis recitatis discendum.*

**A**Tque hæc de contentis in Breviario horisque Canonicis sufficiant. Utinam ex officio cujuslibet diei quivis sibi conaretur eam acquirere de rebus sacris scientiam, quam attentè & non perfunctoriè recitans faciliè acquirere possit. Conceptus meus ad finem hunc commodiùs assequendum aliquando hic erat. *1. mo.* Dum occurrit Psalmus aliquis vel in eo textus obscurus, post absolutas horas vel alio de die tempore commodo inspiciatur Hesserus Tirinus &c. in Psalmos, ut discas argumentum Psalmi & sensum sive litteralem sive mysticum textûs. Si hoc indies vel etiam aliquoties per hebdomadam

dam facias, dein breviter in libello ad id designato aliquid adnotes, adnotata relegas, post annos aliquot intelligentiam psalterii acquies. 2<sup>do</sup>. Habe pari modo libellum, in quo adnotes sive sensus obscuriores sive magis memorabiles Scripturæ veteris & novæ, quæ in primo Nocturno per tres Lectiones recitatur. Servient illa tum ad devotionem, tum ad S. Script. intelligentiam, etiam sæpè in ordine ad confutandos errores Hæreticorum. 3<sup>to</sup>. Quod in Lectionibus 2<sup>di</sup> Nocturni de vita & gestis Sanctorum tibi maximè videtur observatu dignum, pariter adnota, quin &, dum tempus habes, ulterius Autores, qui vitas Sanctorum scripsere, inspice & lege, & sic successu temporis valdè proficies in notitia historię Ecclesiasticæ. 4<sup>to</sup>. Pariter selige memoranda maximè in Lectionibus 2<sup>di</sup> Nocturni ex SS. PP. & Doctorum elucubrationibus, dum officium est de festis solemnioribus v. g. Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, SS. Trinitatis, Pentecostes, SS. Sacramenti, Assumptionis B. M. V. & aliorum ejus festorum. Lege etiam, si tempus suppetat, in operibus horum Patrum ulteriora, quæ de his festis memorant. Et sic paulatim acquies multa, quæ serviant pro doctrina ascetica, pro spirituali discursu, pro controversiis in rebus fidei. 5<sup>to</sup>. Demum præter sententias notatu digniores, quas in 3<sup>to</sup> Nocturno ex homiliis PP. sive in diebus Dominicis sive festivis excerpes, lege quoque continuationem harum homiliarum in ipsis tomis eorum editis, &

& sic doctrina SS. PP. magis magisque paulatim tibi perspecta erit. Et si per annos aliquos tale studium continues adnotando omnia, ut jam dixi, in separatis libellis vel titulis, eâ paulatim imbueris scientiâ, quæ propriè cadit in Sacerdotem Dei altissimi, & vel maximè virum Apostolicæ professionis. Esset & similis occupatio dignissima pro Clerico, qui præter recitationem aut cantum horarum, & lectionem Sacri nil habet ulteriùs, quod vi officii agat. Tali sæpè videtur tempus per diem longum, & nescit, quo id fallere debeat. Utinam se tali, quæ maximè in eum cadit, occupatione sanctâ distineret. Imò nec abs re foret (cùm homines tales sæpè vel libros non habeant, ex quibus similia eruere possint, vel etiam non sat capacitatis ad ejusmodi præstanda) si quis alius præmansum talem cibum iis in os ingereret in quatuor partes divisum, & quatuor Breviarii partibus adaptatum. Leguntur enim horæ à multis per 20. 30. 40. annos, & sub finem æquè sunt ignorantes in intelligentia Scripturæ, notitia historię Ecclesiasticæ, SS. PP. ac controversiarum, &c. ac fuerunt sub initium, dum facti sunt Sacerdotes, vel Breviarium orare cœperunt.

## P R Æ F A T I O.

*Pro tribus Capitibus sequentibus.*

Statim in titulo hujus tertiæ partis professus sum me velle tantùm agere de solidæ devoti-

nis exercitiis, adeoque, quid per ea intelligam, paulisper hinc explicandum est. Itaque

*Primo.* Devotiunculæ, & nescio quæ orationes sæpè inveniuntur in libris precum, nec ab Ecclesiâ, imò sæpè nec ab Autore horum librorum approbatæ aut primitis additæ, sed luci gratiâ in secunda, tertia impressione à Typothetis adjunctæ, & ab hominibus vel indoctis vel malis adinventæ seu communicatæ. Ejusmodi libellorum examen & suppressio pertinet ad eos, quibus id vi officii incumbit. Ut ostendatur, genuinam Christi Ecclesiam sine ruga esse ac macula. Equidem, si aliqui hac in parte officio suo desint, aut libellos omnes sæpè superstitiosa continentis extirpare non possint, per hoc non desinit Romano Catholica Ecclesia vera esse Christi sponsa, quia non tantum non ejusmodi pestes reprobat, sed execratur, & excommunicationum fulminibus ferit. Dolendum tamen est ob Heterodoxos (qui nil avidius quærunt quàm occasionem indocto populo suo contemptum & aversionem erga Catholicam religionem inspirandi) quod quoad hæc ipsa non major sit attentio ac vigilantia. Tu, si sapi mi Lector, semper suspectas habe devotiunculas aut preces; ubi eas recitanti infallibilis promittitur securitas ab improvisa vel mala aut violenta morte, certitudo addicitur absconditos thesauros inveniendi, immunitatem ab his illis morbis impetrandi, pecora à quovis contagioso morbo & lupo, arbores, trumenta, olera, vites, &c. ab omni noxio acre, verme, muribus

præ-

præservandi, Dæmonem ex energumeno, le-  
mures ex ædibus expellendi, præstigias, incen-  
dia, damnaque à Magis ac Sagis causanda eva-  
dendi. Demum nullis fide benedictionum &  
adjurationum formulis, quæ in Missali Agenda  
Rituale Romano non inveniuntur, aut aliunde  
à Christi in terris Vicario sanctâque Romano-  
Catholicâ Ecclesiâ positivè non sunt approbata.  
*Sicut ludit in humanis divina potentia rebus*, ità  
Dæmon in ejusmodi non approbatis ab Ecclesia  
devotiunculis & superstitionibus. Qui illas pro-  
pagant, vel sunt omninò hebetes, vel ex ma-  
licia propria captant applausum simplicis po-  
puli, ejusque nummos. Qui illas usurpant, pa-  
riter auri aviditate aut alterius temporalis com-  
modi infatuantur.

2do. Sunt multi devotarii & devotariæ, qui  
statas per diem preces recitant, certas devotio-  
nes exercent, imò integros precum libellos evol-  
vunt. Interim ea, quæ propriè eorum offi-  
cium, professio, status exigit, negligunt; suum  
adorant criticum, aliasque indomitas affectio-  
nes iræ, invidiæ, rancoris, superbiæ, &c. reti-  
nent. Tu, si ejusmodi pœnitentes habes, &  
vocationis tuæ est non tantùm proximorum sa-  
lutem, sed & perfectionem promovere. Noli  
animas tibi concreditas secundùm illarum præ-  
cisè gustum ac beneplacitum tractare, in devo-  
tiunculis per crebra alloquia vel litterulas in-  
struere cum magna tua & illarum sæpè sensua-  
litate, prætextu pietatis ac devotionis palliatâ.  
Sed, ut virum Apostolicum gravem ac corda-

tum decet, semove operculum ab olla intus devotiunculis quidem bulliente, sed magis immoderatis animi motibus. Dedoce has illas sensualitates, passiones, propriique judicii pertinaciam, & perduc ad solidam perfectionis ac devotionis semitam atque exercitium.

3<sup>tiò</sup>. Quotiescunque cogitatio morosa de solida devotione ac perfectione subit animum. Fator toties in me exurgere commiserationis & indignationis motus erga homines in genere utriusque sexûs, qui devoti sibi aut aliis esse videntur. Vah quàm nos decipit amor proprius, sui ipsius plus æquo æstimatio, cerebelli proprii pertinacia, & mendax virtutum color. Dum ipsa vitia, pravas inclinationes, & ex iis provenientes actiones pro virtutum ac devotionis actibus venum exponimus. Fodiamus altiùs, ut ad solidum tandem veniamus fundamentum. Nullam solidam devotionem habere potes sine solida virtute. Nullam solidam virtutem habes *primò*. Si habitum apud te non contraxerint actus virtutum theologiarum fidei, spei, caritatis. Si religio, quæ verum in- & externum debitum divinæ Majestati cultum complectitur, altas in te radices non fixerit. Quomodo jam ostendis veram fidem, spem, caritatem, religionem in Deum tuum? si visco terrenarum rerum irretitus, sensuali, ne dicam carnali erga has illas creaturas affectu agglutinatus, aut communitatis tuæ justò amantior, non laboras cum fervore pro Deo ejusque gloria ac fideli servitio in te & omnibus, in quibus potes, vel officii aut

vocationis causâ debes , re ipsâ implantando & amplificando. Si justus zelus te tabescere non faciat, hoc & à te & ab aliis negligi, in quo primarium solidæ devotionis exercitium situm est. Quid curo tuas devotiunculas ? si in principali hoc puncto deficis , & tepidus saltem es, si non frigidus. 2dò. Nullam solidam virtutem habes, si in lectione ( quam Christus jam à tot annis tibi, cujuscunque demum sis statûs, inculcavit dicens : *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde* ) adhuc es abecedarius. Sapiùs prò dolor videmus. Quòd illi, qui singularibus pascuntur devotiunculis, prolixas preces per diem fundunt , à consortio aliorum, honesto lusu aut recreatione abstinent tanquam homines de cælo lapsi, vel verbulo laceffiti ab æqualibus, vel justè correpti à superioribus flammæ jaculentur & ignes. Quid curo tuas devotiunculas ? ostendas quod, cum solida devotio consistat in imitatione Christi, verè sis mitis ac mansuetus. Dein quòd sis *humilis corde*. Dum hæc verba perpendo, necessariò judicare debeo, veram & solidam devotionem inter mortales esse rarissimam. Nam primò rara teste Bernardo est *humilitas honorata* sive hominum applausibus, splendido officio, stemmati, rerum omnium affluentia conjuncta. 2dò etiam sub centone, inviliore statu aut officio, sub ipso paupertatis sive spontanæ sive coactæ pallio magna sæpè latet superbia. Uno verbo ubi sunt & quot sunt verè humiles corde ? contemnere se ipsum, sua verbis ac signis exterioribus parvi facere non est

artis. Sed dum vilipenderis ab aliis, humiliaris, vel etiam siue meritis siue immeritis reprehensionibus castigaris, confunderis, etiam scommatibus ac sarcasmis impeteris. Tunc enim verò ex his velut ex lydio lapide genuinæ humilitatis tuæ aurum probari deberet. Quæ, si tunc non appareat, non es *in corde* NB. humilis, & consequenter nec *in corde* devotus. Quòd quidem ex eo apparet luculentius. Quòd, si rem ad fundum perspicias, nullus homo se propriè loquendo humiliare, siue *infra id*, quod est, se abjicere possit utpote pulvis, cinis, saccus vermium ac stercoreum, nihilum ex parte sui esse naturalis, nihilum ex parte gratiæ & donorum supernaturalium, & per peccata sua in infinitam quasi nihilitatis ac miseræ abyssum præcipitatus. Solus ergo Deus juxta sanam Scripturæ sensum *humiliavit semetipsum* abjiciens se *infra id*, quod est, *formam servi accipiens, & habitum inventus ut homo*. Et sicut incomprehensibile est istud mysterium, ita propriè illud expressit Apostolus ad Philipp. 2. his duobus verbis, *exinanivit semetipsum*. Quia verbum divinum assumendo naturam humanam, infinitum finito siue nihilo respectu Dei sibi uniens quasi se annihilavit. Unde, quæ exinde secuta sunt, hoc *semel* factò non ita stupenda sunt. Quòd scilicet ut pauper, inter homines contemptibilis vivere, & in infami cruce mori voluerit. Quid tibi videtur inflate Thraso? cum inter te & vilissimum terræ vermiculum magna sit differentia, si talis vermis, te eidem uniendo,

do, fieres. An non videretur, quòd te exinavisses aut annihilasses? & tamen talis infinita distantia non est inter te & vermem ac est inter Deum & hominem. Quòd jam Joan. i. dicatur: *Verbum Caro factum est.* Inde patet, quòd Deus non tantum animam hominis, juxta quam est imago Dei & Angelis similis, sed & carnem seu corpus, quod cum bestiis homini commune est, assumpserit. Et adhuc plus exinanitionis inde elucet, quòd non voluerit hominis perfecti, sicut Adam creatus est, naturam assumere, sed in ventre Virginis novem mensibus concludi, infantilibus miseris subjici, nec nasci velut nobilis aut Princeps hujus mundi, sed tanquam pauper instar miseri servi aut mancipii, pro quo non erat locus in diversorio sed diruto stabulo inter bovem & asinum. Ecce hic Deus ita se annihilans, exinaniniens, humilians inclamat tibi mi Devotionarie, ut sis *corde humilis.* Strictè loquendo, ut jam dixi, non potes te humiliare, sive exinanire sive abjicere te infra id, quod es ex essentia tua, & quòd te abjecisti per peccata tua. Ergo ut ostendas solidam aliquam devotionem, saltem lectionem Christi de humilitate ejus imitanda sic accipe, & in praxin redige. Ut eum imiteris in genuina erga Deum & homines subjectione, ut omnem in animo fastum & pharisaicam ac affectatam declines humilitatem, & etiam ex exterioribus alii prudentes colligere possint, quòd tibi cordi sit illud S. Hieron. *Magna Philosophia argumentum est honores negligere, laudem non affectare.* Examina

te hinc, & totum discute, quousque deveneris in hac cordis humilitate.

Quid jam dicam de virtutibus aliis? sine quibus iterum nulla solida potest consistere devotio. Non loquor hinc de habitibus supernaturalibus sive nobilissimarum virtutum unâ cum gratia sanctificante à Deo infusarum comitatu, dum à peccato originali per baptismum, ab actualibus per genuinam pœnitentiam homo abluatur. Sermo in præsentiarum est de exercitiis & frequentatis tot virtutum actibus, qui nomen tibi apud Deum & homines conciliare possint, quòd sis homo revera virtuosus. Jam ad rem. Virtus ergo taliter accepta non consistit in uno alterove actu, sed in habitu aut facilitate tali per repetitos actus acquisitâ. Ut, quemadmodum cytharædus quocunque tempore interpellatus cum summa velocitate ac facilitate pulsat artificiosè cytharam, ità tu in omni, quæ se offert, occasione sine lucta, difficultate mox hunc mox illum corde, verbo, opere virtutis actum promptè alacriterque elicias. An jam hâc occasione datâ ostendis? quòd in domo virtutum habites. Aut an non potiùs, oblatâ occasione virtutem temperantiæ fraternæ caritatis &c. lædendi, mox contra eam impingis? vide ergo mi superficialis devotionarie, quàm justam habeas causam sæpiùs illam Ecclesiæ collectam ingeminandi. *Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, &c.* Plura de hac mat. V. p. 1. animad. 7. à pag. 101. Si ergo solidæ te vis dare devotioni, qui toties modum in ea proficien-

ciendi instar devotulæ ( quæ ideo cret ius allo-  
quium aut litterarum commercium à suo petit  
Confessario ) edoceri cupis. Conare virtutes  
acquirere per crebrum earundem exercitium.  
Præsto tibi est divina gratia, præsto sunt per exa-  
men particulare, generale, Sacramentorum  
usum, &c. tot media. Interim etiam

1<sup>to</sup>. Solidæ devotionis, quæ virtutes gene-  
rant, exercitia sunt, quæ attuli in p. 1. hujus  
*Vade mecum* de quotidianis operibus ritè pera-  
gendis. Et in p. 2. de crebris mentis in Deum  
elevationibus. Solida quoque sunt, quæ in  
hac p. 3. quatuor jam Capitibus de meditatione,  
Confessione, Sacro, horis Canonicis ritè per-  
solvendis pertractavi. Et solidæ sunt devotio-  
nis exercitia, quæ porrò in tribus sequentibus  
Capitibus pertractabo. Qualia sunt 1<sup>mo</sup>. De-  
votus cultus erga Deum Eucharisticum, vitam,  
passionem ac mortem Christi. 2<sup>do</sup>. Debitus &  
constans *Latria* cultus erga SS. Trinitatem, cu-  
jus fruitio finis est noster ultimus. *Hyperdulia*  
erga Deiparam Virginem, *Dulia* erga Angelos  
& Sanctos. Affatim pabuli inveniet in his Ca-  
pitibus devotæ orationis sive vocalis sive men-  
talis amator, ut neque in uno neque in altero  
deesse videar. 3<sup>to</sup>. Præter opera misericordiæ  
corporalia constans erga animas in purgatorio  
detentas commiseratio in vario pietatis genere,  
sicut & spiritualia erga vivos indigentes mise-  
ricordiæ opera. 4<sup>to</sup>. Demum quotidiana, dum  
sanus es, & singularis ac propior, dum mor-  
bo periculoso infestaris, ad mortem piè obe-  
undam

undam præparatio. Cuncta hæc esse solida,  
 & sæculari cuivis, dein Clericis, Sacerdotibus,  
 religiosis & devotioni deditis congruentem  
 complecti devotionem, imò optima esse ad sa-  
 lutem æternam adipiscendam adminicula, præ-  
 destinationisque ad cælestem gloriam argu-  
 menta, optimè novit, qui fuit nequam ab  
 initio, juratus generis humani hostis Caco-  
 dæmon. Hinc ut devotiones ejusmodi soli-  
 das funditus extirparet, tot hæreses contra  
 SS. Trinitatis Mysterium, humanitatem, Di-  
 vinitatem Christi, ejusque in Eucharistia præ-  
 sentiam, contra cultum Deiparæ Virginis &  
 Sanctorum, aliasque Catholicæ fidei verita-  
 tes de purgatorio, bonorum operum necessi-  
 tate, utilitate, &c. in orbem invexit. Et quos  
 ejusmodi peste contaminare non potest, iis  
 mortis oblivionem instillare conatur. Et ne  
 eam aliquando infelicem fore metuant, de-  
 mentat eos devotiunculis, quas obiens à su-  
 bitanea malaque morte, si Superis placet,  
 certò certius liberandus sit. Contra has tech-  
 nas se præmunire, & securis ac soli-  
 dis à Deo datis mediis gnaviter ac  
 ferventer uti quis  
 debet.



## CAPUT QUINTUM.

*De variis Praxibus ac modis septies per diem Venerabile Sacramentum invisendi.*

## P R Æ F A T I O.

Quàm benè dixit æterna sapientia Dei Filius Prov. 8. *Delitia mea esse cum filiis hominum.* Quale solatium Christus ex hoc mundo discessurus suis Discipulis nobisque omnibus dedit dicendo Joan. 14. *Non relinquam vos orphanos.* Et Matth. 28. *Ero vobiscum usque ad consummationem sæculi.* Scilicet non tantùm in figura, repræsentatione, aut etiam donorum Spiritûs S. & multiplicis gratiæ participatione. Sed &, prout in cælis sedebo ad dextram Patris, ità idem ego realiter ac substantialiter præsens vobis cum humanitate ac divinitate adero in Eucharistia usque ad finem mundi. Quid sentis de tanto excessu amoris ô anima mea? an nondum ardes continuo desiderio invisendi in V. Sacramento Salvatorem tuum ità te amantem? si esset locus in mundo, ubi non tectus fragilibus panis speciebus, sed ità visibiliter se Christus sisteret, ut olim in mundo conversatus est. An ulli labori, itineri, expensis parceres? ut ad locum illum devenires. Jam opus non est in longinquo illum quærere. In quolibet templo, sacello, ubi sanctissimum asservatur, præsens est cinctus coronâ Angelorum

Dominum suum adorantium. Ibi eum re ipsa  
 invisere, cum eo conversari, eum cum Ange-  
 lis adorare potes. Ipse expectat te, paratus est  
 ad te recipiendum, audiendum, variisque gra-  
 tiis ac beneficiis cumulandum. Equidem ocu-  
 lo corporeo non videbis eum, sed multò firmi-  
 ore fidei fallere ac falli nescio, sicut oculus cor-  
 poreus fallit & fallitur. Oculus fidei etiam ma-  
 jore te merito beat juxta illud Christi: *Quia vi-*  
*disti me Thoma, credidisti. Beati qui non vide-*  
*runt, & crediderunt.* Et quomodo possibile est?  
 quòd Christianus de ejus præsencia non dubitans,  
 ita illuminatus ac instructus, multò magis Cle-  
 ricus, Religiosus, Sacerdos non majorem impul-  
 sum sentiat ad Deum suum in Eucharistia crebrius  
 invisendum. Imò quomodo possibile est? quòd  
 ei assistat sine ullo pietatis sensu, plenus te-  
 pore, inutilibus aliis distractus curis ac cogita-  
 tionibus. Ne dicam peccati maculâ nondum  
 dolore vero expiatâ contaminatus. Et quomo-  
 do iterum possibile est? ut, cum tam multum  
 temporis impendat in visitationibus aliorum  
 per urbem, ubi conscientia sæpè læditur, in vi-  
 sitando Deo Eucharistico per diem tam parcus  
 sit, aut visitationem istam statim abrumpat.  
 Unde nec de die nec de nocte nisi planè invitus  
 avelli deberet, & mille consolationibus unge-  
 retur. Ubi paratus est Christus ad curandos  
 animæ morbos, sicut olim in mundo hoc con-  
 versatus corporum medebatur languoribus.  
 Quid est vita nostra nisi perpetua amaritudo, &  
 lucta non tantùm cum carne & sanguine, sed &  
 Prin-

Principibus ac potestatibus tenebrarum ? si ergo tentaris, hic quære auxilium. Si amaritudine repletur anima tua, hic quære solatium. Si dubio perplexitate angeris, negotio arduo obrueris, hic quære consilium, & oraculum consulta Eucharisticum. David nil desideravit ardentius adeo, quam ut præsens esset in Dei sanctuario. Daniel cum à templo Jerosolymitano in Babylone abesset longius, tribus de die vicibus apertis fenestris versus illud poplite flexo Deum adorabat, ut aliquod ex imaginatione templi caperet solatium. Primi Christiani conati sunt semper apud se habere Eucharistiam in domibus vel etiam speluncis, in quibus ob persecutionem latebant. Plurimi Sancti à divinissimo hoc Sacramento erant quasi inseparabiles. Viguit & illa olim in variis religiosis ordinibus consuetudo, ut successione & alternatione perpetuâ aliqui se semper prosternerent ante Deum Eucharisticum. Ne, ubi adorant eum cælestes genii, deessent homines. Ex quorum purè amore hoc Sacramentum institutum est, & in ultima Cæna velut testamentum à Christo relictum. Superi ! quod jam frigus apud Catholicos ? quæ solitudo in templis ubi curia est summi Regis ? jure indignaretur terrenus Princeps, si aula à Ministris ac aulicis suis non frequentaretur. Sed illi id sanè non negligunt, turmatim latus Principis stipant, unus alium in curvando genua, quævis deferendo obsequia prævenire gestit. Et Rex Regum D. N. J. C. in tabernaculo Deus & homo negligitur.

tnr. Qui ideo ibidem verè præsens est, ut jam dixi, ut gratias ac beneficia hominibus adeo suo auxilio indigentibus dispertiat. Et cum semper dilexisset eos, ideo pro iis incarnatus, natus, passus, mortuus, *verè in finem dilexit eos*, hoc augustissimum instituendo Sacramentum.

Et hæc ratio est. Quare sub primum in Societatem JESU ingressum cuilibet nostrorum inculcetur. Ut juxta illud Davidis *septies de die laudem dixi Domino* per diem quemlibet totâ vitâ suâ septies devotissimo adorationis cultu veneretur latentem in templo aut sacello domestico sub speciebus panis Salvatorem. Cùm autem septemplex illa Chori visitatio fructuosior esse non possit, quàm si vitam, passionem ac mortem Christi, ipsiusque divinissimi Sacramenti institutionem velut Sacrificii incruenti in Cruce peracti memoriale devotâ jugiter mente recolamus, dein virtutes vocationi & instituto nostro conformes expetamus, in iisque nos impigrè exerceamus. Hinc praxes sequentes septenis per diem vicibus Sanctissimum visitandi eò etiam collimabunt. Poterunt plurima servire aliis, demptis vel additis addendis aut demendis. Ego lanam offero, tu relam contexe. Pileum præsentò, tu in angustiore vel laxiore forma, prout congruere judicaveris, capiti tuo accommoda.

PRAXIS PRIMA.

*Vita Christi recolitur, & virtutes vocationi Apostolica maxime congrua in septuplici Visitatione SS. Sacramenti petuntur.*

*Prima Visitatio.*

**A** Doro te mi Deus pro me *incarnate, nate, & circumcise*, & per sanctam *Incarnationem tuam* ex voluntate æterni Patris factam peto veram erga te obedientiam. Per *Nativitatem*, virtutem genuinæ paupertatis. Per *Circumcisionem* generosam affectuum & passionum meorum circumcisionem meique victoriam. Pater noster, &c.

*Secunda Visitatio.*

**A** Doro te mi JESU pro me *oblato in templo*, ob persecutionem Herodis *in Ægyptum fugiens*, & *inde in Judæam rediens*. Offero me quoque tibi totum, & peto veram resignationem in sanctam voluntatem tuam ac Superiorem, & genuinam quoad locum, officium indifferentiam. Pater noster.

*Tertia Visitatio.*

**A** Doro te mi JESU *duodennem in templo* (quod domum Patris tui esse dicebas) *Scripturas Doctoribus legis explicantem*. Et peto veram devotionem erga Deum ac cælites, donum orationis, profectum in S. Scripturæ intel-

intelligentiâ constantemque erga spiritualia affectum. Adoro te *ab anno duodecimo usque ad trigesimum vitam privatam agentem, parentibus subditum, vilibus ac quotidianis domi operibus occupatum.* Petoque perfectam erga Superiores meos obedientiam, humilitatem, alacritatem, vi cuius victu, vestitu, communi vitâ, occupatione in vilibus etiam ministeriis contentus vivam, & opera mea quotidiana domi perfectè peragam, Pater noster.

*Quarta Visitatio.*

**A**Doro te mi JESU *vitam per triennium agentem Apostolicam,* in omni castitate, sobrietate prædicantem regnum Dei omnibus, sanis, ægris, Judæis, gentilibus, summis, imis, amicis, inimicis quoad corpus & animam beneficientem, erga omnes affabilem, mansuetum, innumera denique omniaque ardua pro Patris tui gloria saluteque animarum agentem & patientem. Et peto verum Spiritum Apostolicum, Angelicam castitatem in conversatione cum periculosis sæpè hominibus, sobrietatem, mansuetudinem, zelum divinæ tuæ gloriæ & salutis animarum instituto ac vocationi meæ conformem. Hoc est, ut cum gaudio & indefessè catechizem, prædicem verbum Dei, inveteratos peccatores, Gentiles, Hæreticos convertam, arguam, obsecrem in omni patientia & doctrina, omnibus cujuscunque demum ætatis sexus conditionis debitorem me re ipsâ exhibeam, malefacta beneficiis rependam, & nil quæram nisi  
purè

purè majorem Dei gloriam, mei proximique salutem ac perfectionem, in quo essentia professionis ac vocationis meæ consistit. Pater noster.

*Quinta Visitatio.*

**A** Doro te mi JESU pro me *passæ, crucifixæ, è Cruce depositæ & sepultæ.* Petoque compassionem teneram ac devotionem erga passionem ac mortem tuam, mortem ac sepulturam perpetuam omnium vitiorum, carnis meique ipsius crucifixionem, genuinam mortificationem in- & externam, meique ipsius victoriam, ut jam non vivam ego, sed tu vivas in me. Pater noster.

*Sexta Visitatio.*

**A** Doro te mi JESU *gloriosè è sepulchro resurgentem, cum amantissima Matre tua Apostolis Discipulis per 40. dies conversantem, & demum coram illis in calos ascendentem.* Petoque celerem post quemvis lapsum, in quem etiam justus cadit, resurrectionem, vividum mentis ardorem, vi cujus proficiam in virtutibus, in via illuminativa & unitiva. Caveam, ne ex conversatione aliqua sensuali adhærescat labes. Animoque semper habitem ibi, quo tu ascendisti, & levem me continuo super me, ascensiones in corde meo faciam, & sic conversatio mea in cælis sit. Pater noster.

*Septima Visitatio.*

**A** Doro te mi JESU in cælis regnantem, & in fine mundi totum humanum genus judica-

dicaturum. Et peto constantiam in tua gratia, felicem mortem, præsertim ab omnibus occasionibus, in quibus me prævidisti sive in vita sive in morte fore infelicem. Ut lætus in die illa tremenda tibi occurrere possim. Hæc spe fretus me quieti dabo, & evigilanti mane altero & subsequentibus vitæ meæ diebus jugiter insonabit tuba illa: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Pater noster.

### P R A X I S S E C U N D A.

*Devotio septiplex erga Christum pro nobis passum  
& mortuum ex SS. PP. desumpta in ordine  
ad varios bonos affectus.*

#### *Prima Visitatio.*

*Mors & Passio Christi dolorem de peccatis ingerunt.*

**A**Doro te Domine JESU pro me passus ac mortuus. Video, quod vulneratus sis propter iniquitates nostras. Il. 53. Mea hypocrisis proditorio te osculo hostibus tradidit, libido flagellis concidit, & toto corpore cruentavit. Ira, imprecationes, livorque meus benedictam faciem tuam, in quam Angeli prospicere desiderant, colaphis, sputis, illusionibus onerarunt. Luxus clamide coccineâ, veste illusoriâ, & spineâ coronâ te circumdedit. Inobedientia infame & grave Crucis pondus humeris tuis imposuit. Intemperantia fel cum aceto tibi in at-

deno

dentissima sibi dedit. Superbia te Barabbæ postposuit, & inter duos latrones medium è Cruce suspendit. Hæc manus, hi pedes, hoc insensatum caput, hæc lingua, hi oculi, hæc omni sensualitati, commoditati, obscœnitati indulgens caro, hoc putidum corpus peccatorum meorum instrumenta, in causa sunt, quòd à vertice capitis usque ad plantam pedis non fuerit in te sanitas. Imò hæc maledicta peccata mea nec mortuo pepercerunt, dum lanceâ sacrum latus tuum, ex quo residuus humor & sanguis pro me effluxit, crudeliter perforarunt. Quot vulnera tot voces, quæ pœnitentiam inclamant, & ad intensissimum de peccatis meis dolorem impellunt. Conjicio me in abyssum amoris tui erga me infiniti, qui te pro me in pœnis tantis ac cruciatibus coram divina justitia substituit. Ingemisco, lacrymarum rivos effundo, peccata mea detestor ac defleo, ad satisfactionem, quam possum, maximam paratum me sisto. Et sicut tu amasti me, sic amo & amabo te deinceps ex pleno contritus corde.

*Secunda Visitatio.*

*Sunt munimen contra peccata futura.*

O Domine JESU tanta est virtus sanctæ passionis ac mortis tuæ, ut ad eorum memoriam totus peccatorum fugetur exercitus. Tantarum est virium pia eorundem recordatio. Ut, quemadmodum à luce tenebræ, à vita mors, ita ab ea repellatur nova ad peccandum tentatio. Clavi, qui manus pedesque tuos sacros transfixerunt,

fixerunt, perpetuis Diabolum fixere vulneribus. Sic Crux tua nobis est protectio ab hostibus, in cruce vita, in cruce salus & victoria. Quando igitur mundus, caro vel Diabolus novas mihi parabit insidias, passio ac mors tua Domine subito occurrens animo horrorem & odium immortale erga omnem tui me ita amantis offensam ingeret, & sacra vulnera tua tutum mihi præbent in molesta etiam tentatione refugium. Ut omnis iniquitas à me confusa recedat, & ardor libidinis movens membra mea memoriâ livoris & plagarum tuarum extinguatur. Ideo te hic adoro mi JESU, & gratiam ardentem hanc efflagito, ut memoriâ passionis ac mortis tuæ munitus nulli usque ad mortem tentationi succumbam.

*Tertia Visitatio.*

*Sunt solamen in adversis.*

**O** Domine JESU ex sacris tuis vulneribus, ex amara passione ac morte tua propinatur mihi potus salutaris amaritudinis, & ex his rursus suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis deprimunt, & inter læta tristiaque vitæ præsentis viâ regiâ incedenti tutum præbent utrobique ducatum. Inde tolerantia crudelissimi cujuscunque Martyrii heroica provenit. Quod in tuis vulneribus totâ devotione versetur, & jugi conversatione demoretur fidelis Christi Martyr. Neque enim ob id patiens redditur insensibilis. Submittitur enim sensus sacre passioni, non amittitur. Nec  
deest

deest dolor, sed superatur, contemnitur, & non facit hoc stupor sed amor. O felix transitus à doloribus & vulneribus corporis proprii ad vulnera corporis Christi. Tu mi JESU mortuus pro me es in Cruce, ut mea lenires vulnera, crucem meam ego portarem post te, & in cruce, tribulatione, dolore mori affectem in & pro te. Adoro te hic in sanctissimo Sacramento, & peto gratiam, ut in omni desolatione, morbo, contradictione, probis, doloribus, angustis, tormentis, morte ipsâ efficacissimum in te Deo amore mei crucifixo inveniam remedium, singulare refugium ac solatium. Da gratiam, ut quoties ob hæc illa animi commotionem ad iram impatientiam sentio, à ruminanda sacra passione ac morte tuâ mentem nunquam deflectam. Sic per ruminacionem illam & vivacem impressionem detumescet & subsidet omnis animi æstus & tumor. Uno verbo da gratiam, ut sanus & æger, lætus & tristis, in prosperis & adversis in sacro latere tuo habitem, nec alibi inveniar.

*Quarta Visitatio.*

*Incutiunt salutarem metum,*

**D**omine JESU salutaris ille metus est, qui à peccato omnique ad id committendum periculo vel occasione arcet. Tu ex hoc, quod pro me passus ac mortuus sis, perpetuamque ejus in S. Eucharistia memoriam mihi reficere dignatus sis, amorem erga indignissimum & ingratißimum homuncionem ostendis infinitum.

tum. Sed qualis erit amor tuus versus in furorem? si deinceps tot mihi datis gratiis desim, tamque infinities multiplici amore obrutus te offendere non desinam, sicque te ex potentissimo apud Patrem æternum Advocato in Judicem accipiam irreconciliabilem. In sacra aliquando hostia visus es tres assumpsisse personas. *Primò.* Blandi & amabilis pueruli ut natus fueras in Bethalem. *2dò.* Crucifixi totoque corpore vulnerati, ut in monte Calvariae pependisti in Cruce. *3tò.* Terribilis in throno confidentis Judicis. Jam nil magis vereor quam momentum istud temporis, quo Judicis irati vultum indues, & ejus in particulari universalique judicio personam ages. Tunc enim verò infinities pejus mihi esset quam paganis & gentilibus, qui in te crucifixum non crediderunt, nec tam copiosis divinæ Majestatis tuæ gratiis præventi sunt juxta illud energeticum effatum tuum: *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, &c.* Tunc enim verò passio ac mors tua infinities severius contra me perorarent, & follis essent perpetuus avernalem pro me accendens & in decuplum augens ignem. Terror iste ità ossa mea pervadit & renes, ut jurem hic coram sacratissimo sanctissimi Corporis tui tabernaculo te à me nunquam offensum iri. Cum timore & tremore operabor Domine cum tua gratia salutem meam. Equidem ex amore puro tibi servire mentis sum, sed tamen etiam serviam in timore filiali, & *exultabo cum tremore.* Ps. 21.

*Quinta Visitatio.*

*Mitigant timorem Judicis, & conciliant  
aeternum Patrem.*

**D**omine JESU, quem pro me passum ac mortuum hic profundissimâ veneratione adoro, in passione ac morte tua condignam erga tremendam divinam justitiam satisfactionem & thesaurum salutis invenio, qui clementiam Judicis exorat & impetrat, & hic mihi in die iræ tuæ, calamitatis & miseriæ, tutissimum est refugium. Hæ plagæ manuum tuarum, pedum & lateris mihi figurantur per tres à Moyse in lege scripta designatas urbes, ut essent peccatoribus in asylum. Ad has omni tempore potissimum verò in articulo mortis devotis, quibus annumerari animitus opto, Christi patientis ac morientis cultoribus accessus patet securumque refugium, quando peccata operum, omissionum, affectuum, verborumque illos premunt. Domine JESU tu scis, quòd, quoties tua sacra vulnera devotè veneratus sum, toties ea cum reverentia divinæ justitiæ velut hostiam placationis, & in satisfactionem contracti debiti exhibuerim. Quoties livores & plagas sacri Corporis tui & inde manantem sanguinem piè recolui, toties pœnitentium lavacro per repetitos fidei, spei, caritatis, contritionis ac pœnitentiæ affectus me immerserim, & te agnum Dei tolerantem peccata mundi, atque pro transgressoribus orantem æterno Patri districto peccatorum vindici pro salute animæ meæ obtulerim.

I

Tu

Tu scis, quòd toties humiliationem tuam usque ad extremam confusionem & exinanitionem pro meis superbiæ motibus, fervorem & excessum caritatis tuæ pro mea tepiditate & negligentia, mansuetudinem & mirabilem patientiam tuam pro meis iracundiæ, impatientiæ furoribus, tuum liberalissimè usque ad extremam guttam pro me effusum sanguinem, tuam inter flagella, spinas, clavos, ludibria, sannas crucifixionem, & præviam Crucis bajulationem, tuam magnanimitatem, & æterno Patri tuo placendi studium pro meis evagationibus, tepiditatibus, sensuum carnisque voluptatibus obtulerim. Demum tu scis Domine, quòd Patri æterno consignârim in vulneribus SS. pedum tuorum omnes meos pios affectus, desideria & intentiones. In vulneribus manuum tuarum omnes actiones amore tui susceptas, & quæcunque demum amore tui exantlata, demum in vulnere sacratissimi lateris contritionem, caritatem & conformitatem voluntatis meæ cum divina deposuerim. Cujusmodi actus perfectiores semper ac perfectiores cum gratia tua elicere cupio, & conabor purè amore tui, & quòd amore tui *vulnerati tam dignati pro me pati* in hac illa sensuum ac amoris proprii mortificatione memetipsum crucifigere conatus sim cum tua gratia. Ergo confido in te, quòd per te ac devotam passionis ac mortis tuæ venerationem & cultum benignum & placatum sim habiturus Judicem.

*Sexta Visitatio.**Animant ad virtutes.*

**D**omine JESU, quem hinc sub speciebus Eucharisticis latentem devotè adoro, sicut in nativitate tua præsepe, ità revera in morte crux cathedra fuit, ex qua omnes virtutes nos edoces. Cùm vulpes foveas habeant & volucres cæli nidos, tu fili hominis non habuisti, ubi caput spinis acutis & oblongis circumdatum reclinares. Et ego sub capite tam spinoso membrum eligam esse delicatum? absit Domine. Mortificationem capitis & Domini mei jugiter in corpore meo circumferam. Temperantiam me docebit benedicta lingua tua præstiti atescens, & non nisi acero ac felle potata. Castitas & justitia erga proximum mihi corderunt. Nam aures meas sepiam spinis benedicti capitis tui, ne quid sive incasti sive proximo meo nocivi intret, & in animum se insinuet. Oculos, ne obtutum figant ad inhonesta, & ad bona aliena surripienda excitent, sanguine ex benedictis oculis tuis affluente obtegam. Carnem, ne impuri exsurgentes motus prædominentur, in honorem flagellati dirissimè corporis tui castigabo non quasi aerem verberans. Manus pedesque, ne ad illicita injusta se extendant aut progrediantur, in honorem sacratissimorum tuorum in manibus ac pedibus tuis vulnerum constringam, ut castus & justus sive suum cuique tribuens maneam. Tu in medio

latronum pendens continuò genuinæ humilitatis exercitium mihi instillabis. Amantissimum cor tuum adeo angustiatur & afflictum, cui me totum immergo, instigabit me jugiter, ut ad te unicum finem summum bonum meum faciam ascensiones in corde meo, viva fides in eo magis semper augeatur, spes quatenus desiderium & animi erectio semper magis confortetur, contritio ferventiores de peccatis præteritis fundat lacrymas, caritas perfecta magis magisque accendatur, & zelus animarum tuo pretiosissimo sanguine redemptarum ita me totum conformiter vocationi meæ intimaque fibras pervadat. Ut nulla difficultas in agendo & pariendo me absterreat, ubi animam è Diaboli faucibus eripere, tuisque velut supremi Pastoris humeris ovem perditam imponere poterò.

*Septima Visitatio.*

*Acquirit desiderium Christo pro me passo ac mortuo æternum fruendi.*

**O** Domine JESU adoro te hìc in S. Hostia præsentem. Incredibili autem ætuo desiderio te pro me mortuo & tanta passo in æternum fruendi. Adoro benedictum caput, oculos ac os tuum, & infinitis osculis id in æternum dissuaviare desidero. Adoro sacros pedes tuos, & ubi eos in cælis fixeris, vestigia exoculari, & ad pedes tuos dulcissima verba tua in æternum cum Magdalena audire desidero. Adoro sacras manus & benedictam carnem tuam, teque amplexibus stringere, & à te stringi in æter-

æternum desidero. Adoro sacrum latus tuum,  
& per hoc in cor tuum intro hâc nocte, totâ vi-  
tâ meâ usque ad mortem in eo morabor, &  
tabernaculum pro tota æternitate mihi in eo fa-  
ciam.

P R A X I S T E R T I A.

*Septem verba Christi in Cruce & congruentes illis  
affectus ac petitiones.*

*In prima Visitatione.*

**A**Doro te mi Deus in V. Sacramento, & quia  
hoc instituisti in continuam passionis ac  
mortis tuæ memoriam, ego die hoc septies te  
adoraturus in loco hoc devotâ mente recolam  
septem à te in Cruce prolata verba. Dum expri-  
mo: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid fa-  
ciunt.* Luc. 23. Haurio modò confidentiam &  
amorem erga te nec die hoc, nec ullo usque ad  
mortem extinguendum. O mi JESU cum clamore  
valido & lacrymis merita tua offerens exauditus  
es pro tua reverentia ad Hebr. 5. *Pater* (ini-  
tium orationis dulcissimum, Itâ & te compello  
in lucis hujus exordio) *dimitte* (propositio  
amabilissima) *non enim sciunt quid faciunt.*  
Ratio dimittendi respectu nostræ infirmitatis &  
infiniæ divinæ bonitatis efficacissima. O mi  
JESU amo te, confido in te plenè, quia sic pro  
me peccatis meis te denuò crucifigente apud Pa-  
trem tuum divinamque justitiam perorâsti sæ-  
piùs.

pius. In gratiarum actionem & Sacrificium aliquale matutinum offero tibi perfectam erga inimicos meos caritatem. Intercedo apud te pro iis ex animo, nilque nisi eorum bonum temporale & vel maximè æternum iis exopto, & quantum in me est, procurare studebo, sciens, quàm multum boni in me ipsum, imò & commune bonum derivetur ex actibus ejusmodi heroicis. Quomodo enim Ecclesia haberet Paulum? nisi Stephanus lapidatus ab illis, quorum ipse vestimenta custodiebat, & pro illis & pro Paulo tam efficaciter jam moriturus orâset. Et unde tot nationes & feri homines conversi ad agnitionem tui veræque Ecclesiæ pervenissent? nisi hi ipsi SS. Martyres, quos tot suppliciis excruciabant, pro iis preces, tormenta perpessa, & sanguinem effusum obtulissent.

*In 2da Visitatione.*

**O** Mi JESU tu dixisti latroni in cruce ad te converso: *Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradiso.* Luc. 22. Non est paradiso in mundo nisi in loco, in quo jam sum, ubi tu Deus & homo latens in Sacramento cum hominibus adeo à te amatis es & eris utque ad consummationem sæculi. In hoc paradiso, ubi delitiæ tuæ esse cum filiis hominum, meæ quoque sunt & erunt in hac miseriarum valle. Sed tu Domine memento mei, & dic animæ meæ, quando à mortali hoc corpore discedet: *Hodie tecum eris in paradiso.* Hunc in finem cum tua gratia conabor animam meam paradiso facere  
refi-

residuo vitæ meæ tempore, in quo tu cum Patre & Spiritu S. per gratiam sanctificantem jugiter habites, & ex quo nunquam per peccatum expellare. Est quoque paradysus anima mea, dum te Deum Eucharisticum sumo in gratia, & eò melior, quò magis ab omni affectu etiam erga veniale peccatum purus sum. Modò te sumo spiritualiter cum viva fide & ardenti desiderio te sub speciebus Eucharisticis sumendi.

*In tertia Visitatione.*

**O** MI JESU quàm dolorosa erant verba benedictæ Matri tuæ: *Mulier ecce Filius tuus.* Quòd pro te æterni Patris suoque filio acciperet Discipulum tuum & pro Domino servum. Sed quàm solatio ac nectare omni plena verba! quòd dein dixeris Discipulo: *Ecce Mater tua.* Joan. 18. Non enim tantùm eam dedisti dilecto Joanni, sed & mihi in Matrem. Accepto illam à te modò ante tabernaculum hujus fœderis prostratus. Tali dono dives redeo ad cubiculum occupationes mihi præscriptas. Duceo Matrem in domum cordis mei, & jugiter cum tenerimæ devotionis affectu ad eam dicam:

Quis mihi te rapiet? nemo. Quis me tibi?

nemo.

Filius ergo tibi, tu mihi Mater eris.

*In quarta Visitatione.*

**A** Doro te mi Deus recolens amarissimum illud verbum tuum: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Sic mi JESU

tot laceffitus injuriis , tormentis excarnificatus ,  
 post trium horarum in Cruce mortem inter &  
 vitam luctam , dolores intensiffimos ob tot pec-  
 cata hominum , aeternaque tot animarum ja-  
 cturam , quas tibi ex infinito erga eas amore  
 desponsasti in sanguine tuo , omni post hæc so-  
 latio à Patre tuo destitutus ejulabas in Cruce cla-  
 more valido. Compatior tibi intimè mi JESU,  
 & clarè agnosco ne vel umbram esse , quòd mi-  
 hi ex calice passionis tuæ propinas. Da obsecro  
 gratiam , ut mensuram à me patiendorum sciens  
 esse dispositionem providam ac paternam, tuam-  
 que sanctiffimam voluntatem , semper omni  
 etiam interno solatio destitutus mentis oculos  
 dirigam ad exemplum , quod mihi *in monte*  
 (Calvariæ scilicet) *monstratum est.*

*In quinta Visitatione.*

O Mi JESU tu , qui es fons vitæ , è quo , qui  
 bibit , non sitit in aeternum , clamas in  
 Cruce *Sicio.* Joan. 18. utique effusus omnis è  
 venis & corpore sacer sanguis hanc sitim adfer-  
 bat. Sed maximè humani generis meamque  
 sitiebas salutem. O quàm doleo , quòd tibi  
 toties loco vini acetum , hoc est loco fervidæ  
 devotionis tepidas preces , loco perfectorum  
 opera mea quotidiana omni ex parte imperfecta  
 obtulerim. Acetum cùm gustasses , noluisti bi-  
 bere sive nauseasti. Quàm doleo magis , quòd  
 toties tibi amariffimum fel peccatorum meorum  
 obtulerim. O quàm sæpè meritis sum *fel dra-*  
*conum & venenum aspidum insanabile in inferno.*  
 Quid

Quid mihi in via *Aegypti* ( mundi hujus ) ut bibam aquam turbidam ? Jerem. 2. Quæ siue veniat à concupiscentia carnis, siue oculorum, siue superbia vita, nunquam fatiat, sed semper inquietat, majorem sitim generat, & demum ad perditionem ducit æternam. Sitio animarum salutem ! *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Jer. 2. Ubi te videbo de facie ad faciem mi *Jesus*, & non in ænigmate, ut modò te sub speciebus Eucharisticis pronus adoro.

*In sexta Visitatione.*

**A** Doro te mi *Deus* recolens sextum verbum tuum in *Cruce* prolatum : *Consummatum est.* Joan. 18. Nempè omnes prophetias, figuras, scripturas, voluntatem denique *Patris tui* plenè impleveras. Nullus reliquus erat in venis cruor, nisi qui ex aperto tuo latere cum aqua siue reliquâ in *S. Corpore tuo* lympha continuò exiturus erat. Omne in ossibus robur, omnis in arteriis motus, in pulmone spiritus, in corde vita jam cessat, & à planta pedis usque ad verticem capitis non est in te sanitas. O qualis *Magister* ! qualis lectio ! qualis cathedra ! quale verbum *Consummatum est* ! da mihi gratiam *Jesus* *Christe* pro me crucifixe ; ut non cum amatoribus mundi in agone mœrens exclamem : consummata sunt omnia in vita hac, omnia perdit, nec superest nisi agnitio, quòd in omnibus, quæ te derelicto quærit homo, sit vanitatum vanitas. Hac agnitio superest, & incipit

æternæ miseriam. Sed ut plenus spe ac fiducia in agone possim dicere, quòd id per tuam gratiam consummârim, quòd à me Catholico religioso Sacerdote &c. lex tua sancta exigit.

*In septima Visitatione.*

**A**D quietem me compositurus adoro te mi Deus sub finem diei hujus, & devotâ mente paulisper ruminando verba illa tua ultima in Cruce *Pater* titulo creationis, redemptionis, & tot innumerorum beneficiorum, *in manus tuas* quas semper ad me amplexandum in Cruce expansas tenes, *commendo spiritum meum*, Luc. 22. animam meam unicam (quâ nihil pretiosius habeo) toto tempore vitæ meæ, & vel maxime in extremo mortis articulo. Quando Diabolus veniet ut leo rugiens in ira magna sciens, quia modicum tempus est, Fac Domine, ut tunc te Deo & homine sub speciebus Eucharisticis contento, quem specialiter ideo jam sub iisdem adoro, velut securissimo munitus ad iter æternitatis viatico vexillum Crucis tuæ velut labarum de Diabolo triumphans explicem, & possim tecum dicere: *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.*

*Pro variatione, qua subin devotionem magis acuit, Rithmi hi de 7 Christi verbis etiam in quolibet visitatione recoli possunt.*

1. **A**Ve Jesu, qui maceraris, Sed tortorum deprecaris Patrem culpæ parcere. Promptè fac nos indulgere, Nec vindictam exercere, Corde, verbis, opere.

1. Ave JESU qui latroni Pœnitenti, summi boni Promisisti gratiam. Tali nos contritione Nunc & mortis in agone Fac mereri veniam.
3. Ave JESU qui præsentem Cruci Matrem condolentem Commendas Discipulo. Patri nos tuere curâ, Per te constet mens segura Quovis in periculo.
4. Ave JESU qui dixisti, Pater quid me reliquisti Tantis in suppliciis? Ne nos linquas, ut ruamus, Semper tecum persistamus Fortes in angustiis.
5. Ave JESU qui testaris Sitim, felle sed potaris, Tu qui pascis omnia. Fac æterna nos sitire, Mundi carnis fastidire Fugitiva gaudia.
6. Ave JESU consummasti Jussa Patris, & donasti Tua nobis merita. Benè fac nos inchoare, Sed & plenè consummare Tua beneplacita.
7. Ave JESU qui sermonem Morte claudens & agonem, Patri tradis animam. O mors tua nos emundet, Vitam bonis fac fœcundet, Mortem det rutissimam.

*Quando in aliis visitationibus orasti sive mentaliter sive vocaliter jam allata, potes etiam in una recollere septem Christi in Cruce verba simul Oratione sequenti.*

**D**omine JESU Christe Fili Dei vivi, qui in Cruce pendens dixisti: *Pater dimitte illis,*

*non enim sciunt, quid faciunt.* Fac ut ego amare  
 te tui parcam cunctis mihi mala facientibus. Et  
 qui dixisti latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.*  
 Fac me ita vivere, ut in hora mortis mee  
 & mihi dicas: *Hodie mecum eris.* Et qui dixisti  
 Matri tuæ: *Mulier ecce Filius tuus.* Deinde  
 Discipulo: *Ecce Mater tua.* Fac ut Matri tuæ  
 me societ amor tuus & vera charitas. Et qui  
 dixisti: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.*  
 Fac me cum fiducia dicere in omni tribulatione,  
 tentatione, molestiâ & angustiâ meâ.  
 Pater mi, Domine mi miserere mihi peccatori.  
 Adjuva me Rex meus, Deus meus, qui proprio  
 tuo sanguine redemisti me. Et qui dixisti: *Sitio.*  
 Fac ut semper te sitiam fontem aquæ vivæ.  
 Et qui dixisti: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,*  
 suscipe me redeuntem ad te.  
 Qui dixisti: *Consummatum est.* Fac ut audire  
 mereatur anima meâ consummatâ vitâ meâ illam  
 dulcissimam vocem tuam: *Veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea,*  
 veni, ut cum Angelis & Sanctis meis in regno meo epuleris,  
 jucundetur per totam retrò æternitatem. Amen.

*Vice aliâ potes devotè salutare sacrosancta Christi  
 membra, teque tuosque iis commendare  
 Oratione sequenti.*

**O** MI JESU, cum humanitate, divinitate tuâ  
 hic sub speciebus latens te ego pronus adoro,  
 & sacrosanctam passionem tuam devotè recolens  
 singula, in quibus passus es amore mei,  
 membra prostratus veneror.

Salve

Salve tremendum cunctis Potestatibus caput  
D. N. J. C. pro nobis spinis coronatum, &  
arundine percussum. Salve pretiosissima D. N.  
J. C. facies, in quam desiderant Angeli pro-  
spicere, pro nobis sputis & alapis cæsa. Sal-  
vete benignissimi D. N. J. C. oculi pro nobis la-  
crymis perfusi. Salve mellifluum os gutturque  
suavissimum pro nobis felle & aceto potatum.  
Salvete aures nobilissimæ pro nobis contumeliis  
& opprobriis affectæ. Salve collum humile  
pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissi-  
mum pro nobis flagellatum. Salvete venera-  
biles manus & brachia pro nobis in Cruce ex-  
tensa. Salve pectus mitissimum pro nobis in  
passione conturbatum. Salve latus gloriosum  
pro nobis lanceâ militis perforatum. Salvete  
sacra misericordiæ genua pro nobis in orationi-  
bus flexa. Salvete pedes adorandi pro nobis  
clavis affixi. Salve totum Corpus Jesu pro no-  
bis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum  
& sepultum. Salve sanguis pretiosissime de cor-  
pore D. N. J. C. pro nobis effuse. Salve fornax  
amoris infinita cor amantissimum mei Jesu.  
Salve sanctissima D. N. J. C. anima in Cruce pro  
nobis in manus Patris commendata. In eadem  
commendatione sive ejus unione tibi commen-  
do omnibus vitæ meæ minutis animam meam,  
cor & corpus, omnes sensus & actus meos, om-  
nes consanguineos, amicos, inimicos, omnes  
vivos, defunctos, confratres, omnes in angustiis  
jam in agone constitutos, omnes Catholicos,  
Hæreticos, Gentiles & inveteratos peccatores.

Accurro ad osculum inclinati capitis tui, nec dimittam te, nisi osculum pacis dederis & benedixeris mihi.

P R A X I S   Q U A R T A,

*Duo suspiria SS. Ignatii & Aloysii, & affectus erga quinque sacra vulnera premissa semper adoratione Christi Eucharistici.*

*1ma Visitatio. Suspirium S. Ignatii.*

Suscipe Domine universam libertatem meam, &c. hoc scitur de memoria, Ritmicè pro varietate potest orari modo sequenti.

1. **O** Deus ego amo, Nam prior tu amasti me. En libertate privo me, Ut sponte vinctus sequar te.
2. Nil suggerat memoria Nisi de tua gloria, Nil intellectus sapiat, Præterquam ut te capiat.
3. Protestor nihil velle me, Nisi quod sciam velle te. Quæ dono tuo mea sunt, Hæc dono meo tua sunt.
4. A te accepi, recipe, Quid iis velis, præcipe, Guberna sicut scis & vis, Nam scio, quod amator sis,
5. Amore solo dona me, Ut ego quoque amem te, Et vigil & per somnia. Hoc dando dabis omnia.

Pater noster, Ave Maria,

*2da Vist. Suspirium S. Aloysii.*

1. **O** Christe pendes arbore Amore vulne-  
ratus. Pendes amoris victima, Quid  
Christe mi rependam? Lates minuto maxi-  
mus Sub panis in volucro, Mihique te das  
ferculum, Quid Christe mi rependam?
2. Me sic amantis gloriae Vitamque sanguinem-  
que Si millicies impendero, Piô quantu-  
lum rependam? Hæc sola post hac vita sit  
Sudor laborque solus, Amare te pro viri-  
bus, Morique sic amando.
3. Et te Mariam Virginem Cum Filio paren-  
tem, Dum spiro, testor sydera, Te dili-  
gam Maria. Sed Mater ut clientulum Ju-  
ves periclitantem, Per Filii te vulnera Ob-  
testor & cruorem.

Pater noster. Ave Maria.

*3tia Vist. Salutatio vulneris pedis dextri Christi  
Domini pro impetranda humilitate.*

1. **S**alve vulnus gratiosum Christi fluens san-  
guine.
2. Mihi da cor fructuolum Vacans omni cri-  
mine.
3. Simplex, humile, zelosum Imo gaudens or-  
dine. Pater noster. Ave Maria.

*4ta Vist. Salutatio vulneris sinistri pedis pro im-  
petranda castitate.*

1. **S**alve stillans pedis vena Hominum solatio.
2. Per te fiat in me plena Carnis casti-  
gatio.

3. Casto tibi mens serena Jungat se consortio.  
Pater noster. Ave Maria.

*sta Visit. Salutatio vulneris dextra manus pro  
impetranda obedientia.*

1. **S**Alve rubens ex cruore JESU plaga dex-  
teræ.
2. Fac tua cum fervore Jussa quæram properè.
3. Geram corde, promam ore, Præstem prom-  
ptus opere. Pater noster. Ave Maria.

*6ta Visit. Salutatio vulneris sinistra manus pro  
impetranda mansuetudine.*

1. **S**Alve lavæ vulnus Christi Sanguine pur-  
pureum.
2. Fac me quovis casu tristi Mitem ac pacifi-  
cum.
3. Cunctis quos tu redemisti Lenem ac bene-  
volum. Pater noster. Ave Maria.

*7tima Visit. Salutatio vulneris S. cordis pro im-  
petranda caritate.*

1. **S**Alve scissum cum tremore JESU cor dul-  
cissimum.
2. Nobis patens ex amore Præsta cordis gau-  
dium.
3. Det virtutum cum splendore Caritas incen-  
dium. Pater noster. Ave Maria.



PRAXIS QUINTA.

*Memoria & cultus amoris septemplex erga nos  
Christi Eucharistici.*

*Prima Visitatio.*

*Christus se unit nobis dando se ipsum in Eucharistia.*

O Domine JESU, sicut incomprehensibilis est amor tuus erga nos, quod tua divina Majestas se humanæ naturæ conjunxerit; ita & incomprehensibilis est, quod sub specie panis & vini te intra me suscipere, & tam ineffabili modo tecum uniri possim. Desleo frigus meum, quod non melius redamem, toties per diem à te ad creaturas evager. Non id faciam hodie, quia dixisti ore tuo sacrosancto: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Ergo sicut linguam meam in stomachum trajectus mihi incorporaris, & unum mecum efficeris, sic manebis. Da gratiam, ut ita semper maneam in vita & in morte, qui vivis & regnas &c.

*2da Visitatio.*

*Christus confortat nos se ipso velut cibo  
ac potu anime.*

O Domine qui dixisti: *Ego sum panis vivus, qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Non quaero nisi hunc panem tanquam præstantissimum animæ  
meæ

meæ cibum , quo confortatus per desertum mundi hujus ambulans perveniam ad montem Dei non jam Horeb ut Elias , sed cælum. Et quia cibus hic divinus *Mors est malis vita bonis*, unde *paris sumptionis utique est dispar exitus*. Cum tua gratia non sumam illum nisi in tua gratia in vita & morte. Et hinc frequenter etiam spiritualiter , vivâ fide, desiderio te fruendi, & corde contrito illum delibo , & modo sumo, qui vivis & regnas &c.

*3tia Visitatio.*

*Christus se ita nobis familiarem exhibendo omnem ad se rapit confidentiam , & vinculo pacis homines in se unit.*

O Domine qualis tua benignitas , dulcedo & stupenda familiaritas ! quid est homo, quod ita erga eum apponis cor tuum ? invitas nos, ut veniamus ad te , manducemus te. *Dixerunt viri tabernaculi , quis det te carnibus ejus ?* Et ne terreamur apparitione tremendæ Majestatis tuæ , sub speciebus panis & vini horum quoque sapore relicto instar cibi & potûs suaviter in nos influis ; ut ed magis animemur ad te frequenter sumendum cum summa erga te confidentia , & ut in te nos invicem ut æquales in Cœna magna , quam amor tuus infinitus nobis apparavit , convivamus amplectamur & amemus. O Domine , crescat confidentialis amor erga te , & unio convivarum erga se in te. *Ecclesia tua quesumus Domine caritatis & pacis dona concede, quæ sub oblatiis muneribus [ quorum unum*

ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis azimis confluit ] mysticè designantur.

Per D. N. J. C.

*4ta Visitatio.*

*Christus in Eucharistia multis bonis nos replet.*

**O** Domine, verè non est alia natio tam grandis ac gens Romano-Catholica, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades illi, eamque cibis pretioso corpore ac sanguine tuo. Nauseat anima mea super cibo isto levissimo, quem sub specie fallacis mannae mundus præbet. Fel, venenum, mors in olla est, è qua porrigitur. Detestor perfecto contrito corde, quòd id unquam degustarim. Ecclesia tua sancta docet nullum cibum Eucharistico salubriorem esse, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Nec tantùm te dignè sumentem ita benefacis, sed & vivis proficit & defunctis incruentum hoc Altaris Sacrificium velut salutaris hostia Deo Patri oblata. Ut omnibus teste S. Ecclesia tua profit, quod est pro salute omnium institutum. Omnibus ergo bonis per te in Eucharistia repleti sumus mi Jesu. Et quid dabimus tibi? sume non dimidium ex omnibus, ut olim Tobias dicebat Raphaeli, quæ per te mihi allata sunt. Sume omnia mea, sume corpus & animam, cor cum omnibus, quæ dedisti. Hæc tuo servitio dedico. Da ut debitè te semper redamem, jube quod vis, & da, quod jubes. Benedic animæ meæ, & his NN. Vivis, his NN. Defunctis,

*Christus instituit Eucharist. Sacramentum tanquam memoriale passionis ac mortis sue respectu nostri & aeterni Patris in bonum nostrum.*

**D**omine JESU, cum nullum potentius contra peccata & tentationes sit remedium, quam memoria & cultus continuus passionis ac mortis tuæ, nullumque potentius ad Patrem tuum æternum nobis conciliandum Sacrificium quam incruentum illud tuum, quod per manus Sacerdotis offertur, in cujus odoris suavitate sibi maximè complacet. Ego cum Ecclesia in unione omnium meritorum ejus dico: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tue memoriam reliquisti, tribue quesumus ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tue fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis & regnas &c.*

## 6ta Visitatio.

*Christus in Sacramento se nobis dat in pignus aeterna glorie.*

**D**omine JESU, postquam sanguine tuo nobis emisisti cælum, & morte tuâ invenisti claves regni cælorum, ejus velut arrham nobis reliquisti corpus & sanguinem tuum in Eucharistia. Hic das te nobis sub specie panis & vini velatum, in signum, quod in cælo te facie ad faciem perfruemur. Et de hoc eò magis certificamur, quia nos cibando corpore & sanguine tuo

tuo præservas à peccatis gravibus, venialia minuis, æstum passionum ac tentationum extinguis, & sic ad perseverantiam finalem, quam gloria æterna infallibiliter consequitur, commodissimam sternis viam. *Fac nos quasumus Domine, ità denuò cum Ecclesia rogo, divinitatis tue sempiternà fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. Qui vivis & regnas &c.*

*7<sup>ima</sup> Visitatio.*

*U: hac omnia consequi possimus, innumeris Sacerdotibus dedit Christus consecrandi potestatem, & semper præsens manet in Sacramento Eucharistia.*

Quo te induxit bone JESU amor tuus erga hominem? accepisti in incarnatione formam servi, ut eum redimeres. In Eucharistia lates sub velo inanimatarum creaturarum, quæ ne quidem substantiæ alicujus sed accidentium nomine veniunt. In vita amore nostri subditus fuisti Mariæ & Josepho, modò in cælis regnans Rex Regum & Dominus Dominantium obedis voci hominis, & prolatis consecrationis à Sacerdote legitimè ordinato verbis te sistis sub speciebus panis & vini. Et ut faciliùs omnia à te suprà enumerata bona consequi possimus, innumeris in toto terrarum orbe Sacerdotibus (etiam, si prò dolor mali sint, quod sanè stupendum est) potestatem quasi & imperium super te tribuis. Nec hoc tantùm in ordine ad illu-

lum finem, ut sacro tuo corpore & sanguine, humanitate ac divinitate tuâ saginari possit homo quivis. Sed ut etiam, quando non communicat, refugere semper ad te, auxilium ac solatium petere, varia beneficia impetrare, omnigenamque à te benedictionem accipere possit. Hunc in finem in ligneo finis te includi tabernaculo, per manus Sacerdotis circumferri in Monstrantia aut Ciborio per templum, imò & plateas & loca varia, ut undique & ubique per te bona innumera consequi valeamus; & sic cum hominibus manebis usque ad consummationem sæculi. O verè excessus amoris infiniti, unius supra alium! laudent te unâ mecum ex nunc usque in sempiternum Angeli, Sancti, creaturæ omnes. Et quoniam dies præterit & advesperascit; non dimittam te, nisi spiritualiter à me sumptus benedixeris mihi mi Domine, ut multiplices sanctissimi Sacramenti effectus, quoties te sumo, in vita & morte plenè consequar.

Hæ quinque Præses serviunt & in visitatione sanctissimi, & aliàs ad unum ex præcipuis solidæ devotionis suprâ enumeratis exercitiis, augendum scilicet semper ac inflammandum amorem erga Christum Redemptorem tuum. Quo nil præter amorem & cultum debitum erga Deum Trinum & unum tibi salubrius magisque necessarium esse potest. Si tibi præplaceant Præses aliæ in eundem finem meliùs iudicio tuo servientes, iis utere. Tantùm eò unicè collimant in amore & devotione tenerâ erga Jesum pro  
te

te incarnatum, natum, vitam agentem privatam & Apostolicam, pro te passum, mortuum, in caelos ascendentem, & sub speciebus Eucharisticis in terra ad finem mundi continuò praesentem semper crescas ad mortem usque, & sic salvus eris.

P R A X I S S E X T A.

*Petendi pro se & diversis Societatis nostrae membrorum virtutes varias per merita Sanctorum nostrorum.*

Quidam Romae, cum ad aras Sanctorum nostrorum saepius celebrasset, sensit internum quendam instinctum ad easdem aras apud Deum Eucharisticum supplicandi in septemplici visitatione Chori pro se, variasque virtutes pro diversis Societatis membrorum per merita Sanctorum nostrorum exorandi modo sequente.

*Prima Visitatio.*

Domine JESU Christe, per merita & sacras S. P. N. Ignatii exuvias, per quas mortalibus cujuscunque aetatis, conditionis ac status tot beneficia contulisti, rogo te, ut mihi des, in me conserves, & jugiter augeas usque ad ultimum vitae meae momentum aestimationem sublimis vocationis meae. Et ut Societatis Praeposito Generali, Provinciarum & Domuum per quatuor orbis partes Praesidibus, des gratiam sibi subjectos fortiter & suaviter institutoque nostro conformiter gubernandi. Pater noster.

*Secun-*

*Secunda Visitatio.*

**D**omine JESU , per brachium illud Thaumaturgum *S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli* , quod devotè veneror tuam in eo agnoscens omnipotentiam , per merita Sancti hujus , per quem innumeras gentes cum Regibus ac Principibus suis Ecclesie tue sanctae adjecisti. Rogo te , ut mihi des verum zelum animarum secundum scientiam & conformitatem instituti & vocationis meae. Da ut clariùs semper agnoscam , quantum sit pretium animae infimi homuncionis pretioso tuo sanguine redemptae. Da idem omnibus per totum quà latè patet mundum dispersis Societatis nostrae Missionariis. Protege eos , Hæreticos inter Gentiles ac Paganos , & truces Barbaros constitutos , ut in medio nationis pravæ semper ambulent in via recta , sylvestres illas feras in agnos commutent , & ad pascua æterna perducant.

Pater noster.

*Tertia Visitatio.*

**D**omine JESU per merita magni Sancti tui *Francisci Borgia Gandia Ducis* , quem tam mirabiliter ad Societatis sub initium augmentum & splendorem à terreno principatu evocasti. Rogo te , da mihi veram humilitatem instituto conformem , quæ me Sancti hujus vestigiis inhærere faciat ; sive cum Magnatibus sive cum vili mendicabulo converfer , sive honorer sive contemnar. Ità honorem eos , quos hono-

honorare debeo, ut nil respectus humani aut assentaciunculae adhaereat. Talis sum in plausu aliquo, ut nil vanae gloriolae se immisceat oculo semper mentis in honorifico etiam officio, in caelum Deique gloriam defixo; quia non volo pingere tempori sed aeternitati. Et quia Sanctus hic primam Societati nostrae crexit Academiam Gandiae, Doctoribus & Professoribus nostris eundem humilitatis spiritum instilla, quem ille ostendit. Dum, ut caetera miranda humilitatis ejus genuinae ac solidae exempla praeteream, in noviter a se erecta Academia Gandiae de nihilitate sui primas Theses publice proposuit, & eundem semper spiritum ad ultimum vitae suae momentum conservavit.

Pater noster.

*Quarta Visitatio.*

**D**omine JESU, per merita *S. Joannis Francisci Regis* da mihi gratiam, ut ad ejus exemplum verum agam Societatis operarium, cum fructu sanctum tuum Evangelium e cathedra explicem, pueris & rudibus catechizem, pauperibus moribundis in hospitalibus & alibi afflictis, incarceratis, ad ferale supplicium condemnatis omnibusque peccatoribus in sacro maxime tribunali feliciter assistam, & mulierculas caeno impuritatis immerfas convertam, in periculo pudicitiae amittendae constitutas e Daemonum faucibus eripiam. Da eandem gratiam omnibus Societatis nostrae concionatoribus & operariis. Ut in his omnibus nil quaerant nisi

majorem tuam gloriam & animarum salutem; sicque omnia impleant, quæ in Bulla confirmatæ Societatis Pauli & Julii tertii recensentur, & ratione eorum repeti semper in veritate possit Pontificium illud oraculum. *Digitus Dei est hic.*  
Pater noster.

*Quinta Visitatio.*

**D**omine JESU, per merita amabilissimi Angelici juvenis *S. Aloysii Gonzage*, quem studiosæ juventuti Patronum dedisti, & tam miris continuisque illustras miraculis, te rogo. Da mihi veram Angelicam puritatem, & solidam semper secundum instituti mei leges in scientiis vocationi meæ conformibus occupationem. Hæc eadem da omnibus Societatis nostræ Scholasticis, ut casti ac probi se solidè in spectantibus ad vocationem suam occupent, otium, conversationes periculosas sensuales, inordinatasque affectiones tanquam pestem devitent, passionisque & motus animi præcipites in juventute sua edomare discant. Ut suo tempore in castris tuis, quò propè Jerosolymam, ut *S. P. N.* in meditatione de duobus vexillis explicat, commilitones tuos evocas, dignè militare, & castra tenebrarum propè Babylonem subvertere possint. Da etiam studiosæ juventuti, quam maximâ ex parte Societatis nostræ Scholasticis ac Professoribus in orbe Catholico concedidisti, donum castitatis, ut à luxuriæ vitio maximo juventutis hoste liberati per nostrorum instructiones monita & bona exempla

in bono confortati ad eum statum perveniant,  
in quo prævidisti eos fore æternùm salvos.

Pater noster.

*Sexta Visitatio.*

**D**omine JESU, per merita benedicti, immaculati & dulcissimi Juvenis *S. Stanislai Kostke*, quem tam miris viis ad Novitiatum Romanum adduxisti, per quem in Polonia & alibi tot mira patraſti; da, ut jugiter ardeat cor meum amore tui & benedictæ Matris tuæ immaculatè conceptæ Virginis. Benedictus hic juvenis summo exultantis animi motu eam vocabat Matrem suam, & ardens amore hoc sacro pectus non semel madefacto ad fontem linteo refrigerare debuit. Communica mihi scintillam hujus igneæ caritatis. Et quia signum distinctivum genuinæ ad Societatem vocationis, beatæque in illa perseverantiæ est constans ac tener affectus erga Myſterium Immaculatæ Conceptionis B.M. V. largire obsecro signum hoc omnibus Societatis nostræ novitiis, quos tibi per sanctum Novitium Stanislauum singulariter commendo. Capiant hi dilecti solida asceseos virtutumque vocationi suæ convenientium fundamenta, nec à primævo fervore discedant. Et quia suo tempore multis fors exponentur periculis, nunquam sua spiritualia mortificationesque consuetas omittant, nec in cogitationibus suis evanescant, comprehendant benè æternas veritates. Et quòd perfectio illorum potissimùm consistat in sui ipsius victoria, amoris proprii, propriæque volun-

luntatis & iudicii abdicatione. Ne fundamento hoc neglecto *fiant aliquando in devorationem bestiarum agri*, & mundi hujus pravi, sanctæque doctrinæ tuæ contrariis inficiantur principiis.

Pater noster.

*Septima Visitatio.*

**D**omine JESU, per merita nostrorum sanctorum trium Martyrum Japonum *Pauli, Joannis & Jacobi*, & tam innumerabilium aliorum, qui è Societate nostra sanguinem suum in testimonium veræ fidei cum tanto gaudio & alacritate profuderunt, tamque horrenda tormenta passi sunt ab Hæreticis & Gentilibus. Da mihi patientiam in adversis, fortitudinem in crucibus à tua providentia mihi immisissis, ut cum magno merito eas portem. Da desiderium vivax ac constans pro & in te & S. fide tuâ moriendi, & te Deum meum pro me crucifixum cum firma spe & fiducia in ultimo anhelitu amplectandi. Da idem omnibus & singulis tuo servitio in Societate nostra addictis. Et quia S. P. N. in constitut. suis multum per hoc animat Fratres coadjutores nostros temporales, ceterosque Sacerdotes vi officii sibi à Superioribus demandati temporalia curantes. Quòd ex meritis illorum, quibus illi circa victum vestitum &c. de necessariis provident, pro tua gloria ac fide decertantium multa participaturi sint. Summe illos omnes sub speciali protectione tua, æternasque coronas ob labores ac sudores, quos ad alendos confratres suos exantlant, accumula.

Bene-

Benedic etiam temporaliter eorum curis ac in industriis, quibus debet plurimum Societas nostra. Quæ si non habeat, unde tot pro gloria tua laborantes sustentet, multum impeditur in sacris ministeriis ac functionibus suis.

Demum per merita sanctorum omnium Martyrum & Confessorum totius Ecclesiæ & Societatis nostræ minimæ, rogo te mi JESU per sacra quinque vulnera tua, ut in cohorte, cui à sacrosancto nomine tuo nomenclaturam dedisti, idque pro armis gentilitiis assignasti, hæc quinque semper inconcussa atque inviolata permaneant. 1. Primævus disciplinæ & obedientiæ vigor. 2. Constans per orationem cum Deo Trino & uno conjunctio, animique ac corporis puritas. 3. Primæva tot inter nationes hominesque diversæ educationis ac indolis caritas. 4. Occupatio solida continua in iis, quæ vocatio & officium exigit, desidiæque omnis eliminatio. 5. Magnanimitas in adversis, zelusque animarum indefessus. Ut semper sint & maneant, sicut adhuc in copia per tuam gratiam sunt, Volones plurimi adeo, ut, dum uno opus est, decem se ultro offerant, qui Missiones Indicas aliasque difficillimas inter gentes immanitate barbaras expetant, & inter mille mortis, ad quam indies parati sunt, pericula obeant. Licet non tantum à fidei hostibus & æmulis, sed & ab iis, à quibus maximè protegi deberent, persecutiones patiantur. Nec aliud superfit solatium, quàm quòd pro cælo & Deo laborent. Ecce sex praxes, in quibus pro varietate sex per

hebdomadem diebus in septemplici visitatione sanctissimi te ita exerce, ut simul semper videas & examines, quæ virtutes tibi desint, quarum vocationi tuæ conformiter actus elicere, & in quibus ipso facto eminere debeas. Quod si jam etiam delectet te praxis aliqua, semper eadem, in qua te in septemplici per diem adoratione Christi Eucharistici exerceas, quæque præcipua solidæ devotionis exercitia complectatur. En pro die v. g. Sabbathino sequentem,

### P R A X I S S E P T I M A.

*Cuius cuiuscunque demum vocationis accommodata, qua septem puncta S pro qualibet visitatione semper eadem complectitur.*

1<sup>mo</sup>. **A** Dora sanctissimam & individuum Trinitatem, & fervens desiderium eius utpote ultimi finis tui perfruendi elice. Age gratias Deo Patri, quod ita dilexerit mundum, ut pro eo redimendo filium suum unigenitum dederit. Deo Filio, quod ipse amore nostri tanta facere ac pati dignatus sit, seque ipsum nobis in cibum ac potum sub speciebus panis ac vini dederit, & in SS. Sacramento cum hominibus mansurus sit usque ad consummationem sæculi. Deo Spiritui S. quod ipse corpus Jesu in utero Virginis formaverit, gratiâ sanctificante septemque donis suis nos impleat, & postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

2<sup>do</sup>.

2dò. Elice ferventes actus fidei, spei, caritatis, contritionis, desiderium dignè sumendi sacram hostiam, & sic communica spiritualiter.

3tò. Gratulare B. Virgini Deiparæ de mysterio Immaculatæ Conceptionis suæ, dic septies *Ave Maria* in honorem septem ejus gaudiorum ac dolorum, teque ei in prosperis, adversis, sanitate, ægritudine, vitâ & morte commenda.

4tò. Recita orationem Dominicam in honorem Angeli Custodis tui, & SS. Patronorum singulariter à te cultorum, agendo illis gratias pro his, illis beneficiis, & ulteriùs te in vita ac morte iis commendando.

5tò. Recita devotè Psalmum *De profundis* pro animabus in purgatorio v. g. quibus magis obstrictus es, quæ singularem habuère devotionem erga mysterium Immaculatæ Conceptionis B. M. V. quæ ab aliis sunt derelictæ & magis indigent, vel unquam tibi voluerunt malè, vel gloriam Dei extrinsecam magis aucturæ sunt. Hæc petes ex puro erga Deum amore, & commendabis etiam animas puerorum, qui in periculo sunt, ne ante baptismum acceptum moriantur.

6tò. Deo commenda consanguineos, amicos, benefactores & hostes tuos, obstinatos peccatores, Hæreticos, Paganos, Gentiles, item omnes Superiores tuos sive sacros sive profanos aut sæculares.

7tò. Pete pro te tuisque conservationem gratiæ sanctificantis & felicem mortem. Vide Praxin aliam cap. 7. §. 2. septies adorandi

Venerabile in ordine ad felicem mortem obtinendam.

## CAPUT SEXTUM.

*De Cultu-latria Dei Trini & unius, Hyperdulia B. M. V. Deipara, Dulia Angelorum ac Sanctorum. Item de pietate ac benevolentia animabus in purgatorio detentis, dein de variis per opera misericordia sive corporalia sive spiritualia praestandis.*

§. I. mus.

*Orationes & affectus erga Deum Trinum & Unum certis per hebdomadem ac mensem temporibus elicendi. In quibus ob durius evadendum purgatorium, animam magis magisque purificandam, & ad ultimum finem suum disponendam te debes frequenter cum magno fervore & singulari devotionis gustu exercere.*

*Oratio ad SS. Trinitatem.*

**C**Redo in te, spero in te, amo te SS. Trinitas unus Deus, incomprehensibilis cogitatu, veritas, fidelitas, pulchritudo, sapientia, bonitas infinita. Offero tibi pro libello supplici omnia merita Jesu, Mariae, omnium Electorum, & rogo, ut tuis beneficiis bene semper utar. Quidquid boni de te scriptum habent Bibliothecae omnes, Quidquid boni de te dixit  
vel

vel cogitavit ullus. Quidquid in thesauro scientiæ tuæ est, quod tibi offerri à me possit, id omne tibi offero in gratulationem de bonis tuis, in gratiarum actionem pro donis tuis, in satisfactionem pro malis meis, in impetrationem amoris, quo te magis ac magis amem semper, usque in diem pulchrum amoris æterni. Illo Magistro doce me omnia optimè ac maximâ diligentiam facere. Quia illa facio tui amore, qui optimus & maximus es ô pretiosissime, ô pulcherrime, ô nobilissime, ô gloriosissime Deus meus, deliciarum omnium primæ ac summæ deliciæ, affluentissima dulcedo, infinitè infinita immensitas, divina Majestas, omnis boni, quod amari potest, thesaurus unicus, ac pura voluptas, SS. Trinitas, unum verum bonum, & ultimus finis meus.

*Notiones trium divinarum personarum.*

O Stupenda Patris innascibilitas! æterna geniti non facti filii filiatio, necessaria & amabilis Spiritûs sancti à Patre Filioque spirati processio! ostendis te nobis per has notiones tuas, ut per proprias rationes unamquamque personam divinam cognoscamus. Et tamen te inter tot etiam notiones, dum credimus, necdum novimus Deus meus. Hic hæremus inter obscura ista, sed olim explicanda unitatis & pluralitatis vocabula. Usque dum te ipsum nobis ostendas in te, ô digna divinitatis Unitas & personarum Trinitas. Expecto illud lumen, & spero; quòd hæc in te visurus sim, ut plus te amem

tunc notum magis. Notus in Judæa Deus, at  
rudi valde notitiâ & in viâ. Notus in cælo Deus,  
at illa notitiâ penitus absorbet cognoscentes,  
immergit in infinitum deliciarum mare per to-  
tam æternitatem non transatandum. Et ideo,  
licet te non capiam nec capere possim Deum  
meum Trinum & Unum; hoc tamen capio,  
quod nullum per totam æternitatem in tui visio-  
ne possit obrepere tædium; sed semper novâ  
deliciarum mari immergendus sim; quia, cum  
infinite infinitus sis, novam semper continuata  
per totam æternitatem tui tam benè in essentia  
& prædicatis absolutis, quàm relativis visio cau-  
sabit dulcedinem, & hæc ineffabilem.

*Oratio ad quamlibet divinam personam.*

**O** Pater cujus intellectus verbum infinite bonum est, quia æquè Deus ac tu es. Da, ut omne verbum intellectus mei, omnis cogitatio mea sit bona, tibi que placeat. Accipe, doce, imple, custodi intellectum meum. O processio verbi secundum actionem intelligibilem, O Processio amoris secundum operationem voluntatis tibi addico, devoveo, immergo intellectum meum, & voluntatem meam tanquam radices omnium mearum operationum. Sit servus tuus intellectus meus, sit ancilla tua voluntas mea & anima mea.

*Desiderium videndi SS. Trinitatem.*

**F**ecisti nos Domine, ut inquietum sit cor nostrum, donec requiescat in te. Volo ergo peni-

penitus in te quiescere. Tu in purgatorio punies dilectas tibi animas; quod corporibus conjunctæ non ardentè satis desiderarint te videre, te frui Deo Trino & Uno tanquam ultimo fine suo. O finis meus unicus, Deus cordis mei, Deus desideriorum meorum fac me ergo virum desideriorum; qui nil desideret nisi fruitionem tuâ. Oportet me opus tuæ manus ad te velut metam & finem transmitti, sicut sagitta à sagittante ad signum transmittitur. O pone me quasi sagittam electam, qui te mihi pro meta dedisti Deus. Ne permittes, ut aliò feratur oculus mentis meæ, sed omnia dirigat unicè ad amorem & honorem tuum, & inextinguibile semper excitet desiderium te attingendi. Utinam quotquot ullo calamo scribi, vel ullâ mente concipi possunt numeri, tot Cherubinarum & Seraphinarum, imò tot Jesu & Mariæ cordibus te desiderarem, te amarem in infinitum, tot thesaurorum talentis pro gloria tua expensis te honorarem in infinitum, tot linguis, tot desideriiis, tot gaudiis tibi gratularer in infinitum, tot holocaustis tibi pro peccatis meis satisfacerem, & pro beneficiis gratias agerem in infinitum, tot desideriiis optarem id amore tui agere, quod tibi super omnia placet in infinitum. Sicut autem desideria otiosa occidunt pigrum, ita tu omnem socordiam à desideriiis meis excute, & me ac illa tibi perfice. Ut ego & omnia opera mea sint amori & honori tuo oblatio consummata, sacrificium doloris pro peccatis, &

holocaustum amoris tui crucis holocausto ac  
meritis unita.

*Suspiria amoris.*

**D**omine sicut dixisti Catharinæ Senensi velle  
te, nostra opera & desideria esse quodam-  
modo infinita, ita volo. Utinam ita te ama-  
rem, sicut amaris in cælo & in terra, idque  
cordibus infinitis. Utinam singulis momentis  
possem unire singula momenta vitæ meæ omni-  
bus meritis vitæ ac mortis JESU, utinam singu-  
lis momentis possem JESUM in Eucharistiæ Sa-  
cramento percipere cum præparatione illâ, quâ  
illum ulla unquam anima vel re ipsâ, vel etiam  
desiderio accepit, ac te mi Deus ipso JESU  
corde amare infinitis modis in infinitum.

**O** Deus medulla optimi, flos pulcherrimi,  
mysterium pulchritudinis, pulchritudo  
bonitatis, patria omnis dulcedinis, omni amœ-  
nitate jucundior, omni colore jucundior, omni  
thesauro ditior, doleo, quod per tot vagas &  
vanas mundi strophas raptatus phræneticus ani-  
mus meus tantum temporis perdiderit extra te.  
Jam tibi sim sacer totus, ament te, loquantur  
tibi oculi mei. Quoties illis cælum aspexero, to-  
ties desidero tibi offerre omnia illa cordium  
sanctorum desideria, quibus accendebantur  
Sancti, cum cælum aspicerent. Toties offerre  
tibi desidero totum illum amorem, quo amaris  
in cælo à te ipso, à JESU, à Maria, & ab omni-  
bus Electis tuis. Desidero illis adjungi, ut amem  
te. Quoties respiravero, toties tibi gratias  
red.

reddere cupio per omnia JESU merita pro beneficiis omnibus, quæ à te accepi, nec ego tantum, sed & omnes creaturæ. Si cor meum intra se haberet aliquem Seraphinum, vel cor Mariæ, vel cor JESU, quod in pectore S. Catharinæ Senensis dicitur habitasse, Deus meus quomodo te amaret! ecce communicans vel Sacerum indies dicens habeo in pectore Jesum quotidie; ille te amet in me, amorem meum illius cordi committo. O si, quemadmodum integræ Dæmonum legiones unius hominis corpus feruntur ingressæ, ita ego uno corde omnes beatos spiritus complecti possem. O quam felix tunc esset cor meum adeo plenum Choris te amantium Angelorum. Si haberem in corde meo omnes Martyres, omnes vellem expirare Martyrio doloris & amoris tui ô Deus digne, pro quo per Martyrium omnis vita omnium mortalium immoletur.

*Intentio.*

**O**Mi Deus, si singula, quæ facio, possem ad supremum tibi placendi seu eminentissimæ intentionis apicem elevare, facerem. Et nunc illo fine omnia offero divinæ Majestati tuæ. O si quoties te ego & omnis creatura offendit, toties possem hanc animam pro te ponere, omnesque dolores & agones omnium pro te & in te pretiosâ morte Defunctorum in corpore meo tibi velut in holocaustum offerre. Amo te mi Deus ideo vel maximè, quòd te ut infinitum

unicum bonum infinite ames, & vellem in infinitum augere numerum singulorum bonorum operum & intentionum bonarum, quibus à me vel ab ulla creatura honoraris. Nullam corporis, nullam animæ meæ actionem volo esse adiphoram, sed valdè bonam, dirigoque illam ad summam gloriam tuam per manus Salvatoris mei D. N. JESU Christi, in quibus perficiantur omnes, & juventur ipsius infinitis meritis, & meritis benedictæ Matris ejus & omnium Electorum. Utinam singulis possem addere numerum & pretium infinitum ac fines omnes, qui in divina mente tua sunt optimi. Et hæc omnia expressè volo, quoties dixerò vel cogitavero *ad majorem Dei gloriam*. Quoties sonitum campanæ audiero, quoties manum aut pedem movero, aut arteriæ pulsus erit,

*Alia intentio ante opus aliquod alicujus momenti etiam Sacrificium Missæ, vel pœnosum, vel per se tendens ad Dei gloriam ex motivis variarum virtutum.*

**P**ER manus JESU & Mariæ, omniumque Electorum & Angeli Custodis mei, omnium creaturarum nomine, in unione omnium meritorum Christi, & sanctissimâ illâ purissimâque intentione, quâ tu mecum concurris, non solum pro nunc, sed pro æternitate tota, quantum in me est, maximoque affectu & modo, quem scis meliorem, tibi que acceptiorem esse, offero divinæ Majestati tuæ hoc opus, molestiam, laborem, dolorem cum intentione.

1. Placendi tibi soli & suavissimum gustum dandi; quia ob infinitam bonitatem & perfecti-  
onem tuam dignus es. *Caritas.*
2. Quia sic spero me per infinitam potentiam  
tuam, fidelitatem ac misericordiam tuam  
obtenturum gratiam, merita ac gloriam.  
*Spes.*
3. Quia credo te hinc præsentem esse, posse ac  
velle me audire & exaudire. *Fides.*
4. Quia istâ actione te honorare, tibi ob infini-  
tam excellentiam tuam cupio servire velut  
meo Dómino, principio primo & fini ulti-  
mo. *Religio.*
5. Quia sic imitari intendo meum JESUM, B. V.  
& omnes Sanctos. *Imitatio Sanctorum.*
6. Quia hoc modo resarcire desidero ingrati-  
tudinem & injurias, quibus ego cum aliis pec-  
catoribus te offendi. *Pœnitentia, zelus ho-  
noris divini.*
7. Quia hoc requirit obligatio gratitudinis pro  
tuo amore & beneficiis mihi præstitis. *Gra-  
titudo.*
8. Quia benè operando evadere cupio pœnas  
purgatorii, multoque magis inferni à justiti-  
a tua infligendas. Et tali modo pro pœna  
peccatis meis debita justitiæ tuæ satisfacere de-  
sidero. *Metus supernaturalis & justitia vin-  
dicativa.*
9. Ut actiones meæ justæ bonaque exempla ædi-  
ficient proximum, illique & vivo & mortuo  
profint, & à tua liberalissima manu hoc il-  
lud N. N. pro me & aliis in illorum utilitatem  
immetrem. *Caritas fraterna.*

10. Propter bonum quod in rem publicam Christianam aut religionem, cujus membrum sum, inde reulatat. *Pietas & iustitia legalis.*
11. Quia sic obedio tibi præceptis tuis ac regulis meis. *Obedientia.*
12. Ut hæc monetâ operum virtuosorum solvam debita, ad quæ vel iustitia vel fidelitas aliis præstanda me obligat. *Iustitia & fidelitas.*
13. Ut subijciam me divinæ voluntati tuæ velut indignissimum & egentissimum ob peccata mea. *Humilitas.*
14. Quia sanctè operando reprimere & vincere volo inordinatas passiones meas. *Fortitudo, Mortificatio.*
15. Ut labore hoc vel pœnoso exercitio corporis aut animæ impediam & vincam motus & cogitationes castitati contrarias. *Castitas.*
16. Quia sic dictat veræ prudentiæ dictamen; ut, quamdiu valetudo ac tempus permittit, benè operer, meque in virtutum exercitio strenuè excolam. *Prudentia.*
17. Quia rationi honestatique conforme est, ut virtutes exerream. *Virtus in genere.*

Ex his omnibus & possibilibus quibuscunque motivis supernaturalibus me quodvis opus tibi offerentem Domine Deus adjuva. Ut cum gratia tua incipiam, prosequar & finiam omnes operationes meas ad tuam majorem gloriam, & sanctissimæ voluntatis tuæ accuratam in omnibus adimplerionem.

*Exercitium spirituale Venerabilis Servi Dei Papæ  
Innocenti XI. à S. Congreg Rituum 16. Ju-  
nii 1714. approbatum, juxta exemplar  
Roma idioma Italico impressum.*

**T**E adoro Deum meum, sanctissimam Tri-  
nitatem, Patrem, Filium & Spiritum san-  
ctum, tres personas & unum solum Deum; &  
adjutorium divinum suppliciter imploro, &  
me humilio in abyssam mei nihili sub directione  
tuæ Majestatis.

Credo firmissimè, & mille vitas exponerem  
ad testificandum illud, quod dixisti mediante  
sacra Scripturâ & sanctâ tuâ Ecclesiâ, quia infinitè  
verus & verax es.

Omniem spem meam in te repono & omnia  
mea bona spiritualia & temporalia hujus & al-  
terius vitæ. Omnia desidero & exspecto solum de  
tuis manibus, quia tu Deus meus es, vita mea,  
& sola spes mea, utpote infinitè potens, fidelis  
& misericors.

Tibi trado hodie & semper corpus & animam  
meam, meas potentias, memoriam, intelle-  
ctum, voluntatem & omnes meos sensus.

Protestor, quòd non consentiam, nec quòd  
unquam consensurus sim, quantum in me est,  
ulli rei, quæ in minimo tuam Majestatem of-  
fendere possit.

Promptus sum ad quamcunque pœnam de  
tuis sanctissimis manibus mihi infligendam, ut  
omniò me conformem tuæ divinæ voluntati.

To-

Totum me vellem impendere, ut tuæ Majestati quæcunque obsequia exhiberentur, & ea glorificaretur ab omnibus totius mundi hominibus.

Gratulor quàm maximè de tua æterna felicitate, & mihi gaudeo, quòd sis tam gloriosus in cælo & in terra.

Infinitas ago gratias ob beneficia à me & toto mundo recepta & recipienda à tua Majestate.

Omni cordis & animi affectu tuam bonitatem amo propter se ipsam, & vellem scire quomodo illam meliùs amare deberem prout te amant Angeli & justì, quibuscum meum imperfectissimum amorem conjungo.

Offero tuæ Majestati insimul cum meritis Sanctorum, B. Virginis & Christi Domini nostri omnia opera mea tingendo ea pretiosissimo sanguine JESU mei Salvatoris.

Habeo intentionem acquirendi in actionibus meis hodiernis tot indulgentias, quot possum, & illas applicandi per modum suffragii animabus in purgatorio.

Habeo similiter intentionem offerendi omne illud, quod possum & sum facturus hodie, imò omnia sacrificia, quæ in toto mundo in omnibus horis hoc mane in sacris Altaribus offeruntur, quæ profundè adoro in pœnitentiam & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, quàm ingens malum feci offendendo tuam Majestatem, quia dignus es, ut infinite ameris, & tibi serviatur; propterea me pœnitet, & doleo quantum possum de omnibus

bus meis peccatis, & mihi displicet plus, quam omne aliud malum, humiliter veniam rogo, & mihi propono firmiter tuam divinam Majestatem deinceps non amplius offendere.

Confugio ad plagas tuas JESU Christe, & in eis me hodie & semper defende usque dum mihi licuerit ( ut humillimè rogo ) te videre & amare in æternum. Amen.

JESU, Maria & Joseph vobis dono cor & animam meam.

Vide plures ad Deum amorosas aspirationes in soliloq. Augustini, & aspirationibus ad SS. Trinitatem in 52. hebdomadas anni distributis P. Nadasi S. J. qui libellus volvi & revolvi meretur. Quia autem nulla melior fundi potest ad Deum Oratio præ illa, quam D. N. J. C. sacrosancto ore suo nos ipse docuit, visum est præter illam ( quam c. 3. §. 1. in explicatione contentorum Missæ breviter dedi pag. 9. ) tres fusiores Dominicæ Orationis Paraphrases hic subnectere.

*Paraphrasis prima Orationis Dominica.*

*Cujus tres prima petitiones spectant honorem Dei, & quatuor sequentes utilitatem nostram, ac media continent ad finem nostrum [ qui est servire Deo & salvari ] perveniendi.*

**P**ater noster Titulo creationis, redemptionis, regenerationis per baptismum, adoptionis in filios per gratiam, & vocationis ad cæle-

lestem hæreditatem, adeoque ro Pater noster summam in nobis reverentiam, fiduciam & caritatem excitare debet, quam augere debent verba sequentia: *Qui es in cælis.* Licet enim Deus ubique sit, cæli tamen specialis hinc fit mentio, ut reflectamus à Patre nostro optimo ac maximo sperandam à nobis esse & unicè petendam hæreditatem cælestem, & illa quæ eò conducunt, mentemque à terrenis penitus transferendam, quæ non sunt nisi fumus & umbra, & vanitas vanitatum. Et quia Deus Trinus & Unus ob sua attributa & bonitatem infinitam ab omnibus coli meretur, eum autem in se sanctificare, aut gloriam ejus internam, vel sanctitatem, justitiam, bonitatem augere non possumus. Per ro *Sanctificetur nomen tuum* petimus sanctificationem ejus extrinsecam, ut scilicet accrescat sancta fides, spes, caritas, religio, Dei cultus, & per clariiores de eo cognitiones, & ardentiores amoris actus, ejus bonitas & sanctitas in cordibus nostris omniumque hominum magis semper deprædicetur. Per ro *Adveniat regnum tuum* primò complacemur nobis in regno, quod habet Deus ex natura sua, quodque est dominium absolutum in omnes creaturas. Et Ps. 144. dicitur: *Regnum omnium sæculorum,* & dominatio de omni generatione in generationem. 2dò. Petimus regnum Dei mysticum teste Hier. & Ambros. ut idololatria, infidelitas hæresis, apostasia & Diabolus in mundo regnare desinant, nec peccatum regnet in nostro mortali corpore, sed virtus, pudicitia, religio.

gio. 3tio. Petimus regnum cæleste, quò Deus communicando se beatis per lumen gloriæ laudatur & amatur in æternum. Et hinc suspirando, ut regnum hoc nobis adveniat; petimus, ut cito ex hoc mundo velut è gravi peregrinatione, & periculosâ militiâ transferamur in illud. Per to *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra* petimus; ut nostra voluntas se in omnibus subjiciat legi & voluntati divinæ tanquam omnium creatrici, imperatrici, & regulæ omnis honestæ ac virtutis. Petimus simul à Deo copiosam & efficacem gratiam, quâ ita alacriter, integrè & concorditer per omnia tam in agendo quam patièdo justis desideriis & consiliis divinis obediunt homines, sicut beati in cælis iisdem obediunt. Et hinc non sequitur nos teneri ea velle, quæ ex sola Dei permissione eveniunt. Neque enim possumus velle peccata, neque etiam tenemur velle pati aliqua, quæ pati peccatum non est. Ut sunt cædes Christianorum, everisiones urbium, aliaque mala. Imò toto affectu possumus desiderare, ut ea non eveniant, & quantum in nobis est, ea à Catholica Ecclesia amoveantur. Quòd si tamen ejusmodi evenerint, dicendum cum Psalmista: *Iustus es Domine & rectum judicium tuum.* Sicut multò magis id debemus dicere: Si, postquam Deum rogavimus, ut hanc vel illam crucem nobis non immittat, vel à nobis tollat, non exaudiamur. Sicut enim conditionatè semper talia petenda sunt, si scilicet salutis nostræ conducant, & ad Dei gloriam sint, sic & cum Christo petente à

sc

se auferri calicem passionis subjungendum est;  
*Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

Per *TO Panem nostrum quotidianum, vel etiam  
 supersubstantialem da nobis hodie.* Fāctetur cum-  
 primis omnis homo sive Rex sive rusticus, sive  
 pauper sive dives, se esse mendicum coram Deo,  
 imò prosterni supplicem ante januam magni  
 Patris-familias, qui pascit nos ab adolescentia,  
 Et sicut olim in deserto per 40. annos sexcentis  
 Israelitarum millibus, itā & modò singulis ho-  
 minibus escam de cælo dat. Deinde petimus  
 panem nostrum NB. non alienum aut raptum;  
 sed nobis per nostros labores, census, eleëmofy-  
 nas, aliterve à Deo datum aut dandum. Per  
*TO Panem substantialem in sensu litterali* petimus  
 ea, quæ ad conservandam hominis substantiam  
 & vitam usu quotidiano sunt necessaria & utilia.  
 Qualia sunt cibus, potus, indumentum, habita-  
 tio, medicina, somnus, non autem luxus, deli-  
 ciæ, superflua, quibus plerumque homines à  
 cælestium spiritualium rerum curâ abstrahuntur.  
 Et quia substantia nostra corpore constat & ani-  
 ma, sicut pro corpore sustentando ea, quæ  
 jam dixi, petimus; itā pro anima alimentatio-  
 nem spiritualement, nempe bonum usum gratiæ  
 quotidianæ, auditionem verbi Dei, lectionem  
 fructuosam libri sacri, & quamlibet spiritualement  
 exercitationem animæ nutriendæ necessariam  
 vel opportunam. Ut scilicet hoc pane quilibet  
 juxta suam vocationem utatur & nutriatur.  
 Porrò panis *supersubstantialis*, & ut S. Hieron.  
 vertit, *præcipuus, egregius, eximius, peculiaris,*  
 vel

vel ut alii, *electus*, qui est super omnes substantias & omnes creaturas, est sacrosancta Eucharistia. Hoc ergo vel maximè pasci petimus. Et sicut non tantùm dari postulamus panem pro corpore, sed & salutarem vim vigoremque nutriendi & roborandi quotidiano pani aut cibo potuique, aliisque ad vitam sustentandam necessariis inseri, ut corpori prosit ad sanitatem & robur, ut eò meliùs animæ in Dei famulatu serviat corpus. Nam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. Ità vel maximè id petendum pro cibis animæ jam enumeratis, & præcipuè pane Eucharistico, ut ejus usu Spiritus S. gratia in anima roboretur & crescat.

Per *to Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Deprecamur mala animæ seu peccata, per quæ summa debita contrahimus ob summam injuriam, quam irrogant Deo. Quæ, quia infinita est, hinc pro ea ejusque debito abolendo nec homo nec Angelus ex rigore justitiæ satisfacere potuit, sed solus Christus, qui est Deus & homo. Unde petimus nobis remitti ex meritis Christi reatum culpæ & pœnæ, quam peccando incurrimus; idque sub conditione, quam Deus à nobis requirit, ut & nos dimittamus debitoribus nostris debita non pecuniæ, nec restitutionis famæ & honoris; sed injuriæ nobis illatæ. Ità ut propter illam non prosequamur eos odio, nec velimus vindictam privatam, nec etiam publicam; nisi quando bonum publicum, aut recta ratio aliud postulant. Unde qui recitant oratio-

tionem Dominicam, & nolunt proximis injuriam dimittere, mentiuntur coram Deo, & contra se ipsos sententiam quasi pronunciant. Non mentiuntur tamen ii, quibus id difficile est, & ob infirmitatem non possunt statim dimittere. Si optent, ut debent, dimittere. Et petant à Deo robur & gratiam, voluntatem Dei quoad hoc punctum implendi.

Per *ro Et ne nos inducas in tentationem* petimus; ut Deus nos non permittat induci in tentationem, hoc est, occasionem, circumstantias, in quibus nos lapsuros aut à qua nos superatum iri prævidit. Hinc à quolibet assidue & ardentem imploranda est à Deo gratia congrua, *ne ab ea deserti*, ut Aug. ait, *alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti*. Et quanquam nonnulli Sancti animati magnâ animi fortitudine & fiduciâ in Deum optarint tentationes quasi materiam augendæ virtutis & meriti, ordinariè tamen tutius est tentationes fugere & deprecari. Et hinc admonet nos Christus infirmitatis nostræ, ut ob eam nos tentationibus non ingeramus, sed eas, quoad fieri potest, arceamus & deprecemur.

Per *ro Sed libera nos à malo* intelligitur primò malum tentationis, de quo supra. 2dò. Diabolus. 3tiò. Peccatum, & id, quod ad peccatum trahit, vel virtutis ac perfectionis est impedimentum, 4tò. Gehenna.

In fine additur *Amen*, quod videntur addidisse Græci ex pia & solenni consuetudine, estque votum, ut fiat, quod petitum est.

## Paraphrasis secunda Orationis Dominica.

Prout ante Sacrum vel Communionem orari potest  
flexis ante SS. Sacramentum genibus.

**A**Doro te mi Deus in hoc tabernaculo tuo eâ ipsâmet, quam proprio sancto ore tuo me docuisti, oratione. *Pater noster* mille titulis, qui es in cælis, & de cælis ad vocem Sacerdotis venis in hoc divinissimum Sacramentum. *Sanctificetur nomen tuum.* Tu cum omni sanctitate, divinisque perfectionibus ad me venis in hoc Sacramento. Tu, quando in ultima Cœna id instituisti, orâsti pro me æternum Patrem, dicens: *Ego sanctificavi me ipsum; ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Joan. 17. In veritate, non fictè aut simulatè, sanctus esse volo, volo indies magis magisque ab omni peccato, omnique inordinato erga creaturas quascunque affectu vel odio recedere, & passiones meas edomare. *Adveniat regnum tuum. Quod est iustitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Rom. 14. Da mihi illud per SS. hoc Sacramentum velut pignus æternæ gloriæ, imple in me illud, ut verum fiat, quod dixisti: *Regnum Dei intra vos est.* Luc. 17. *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra.* Tu voluntatem tuam, quæ omnis, in agendo & patiendo, perfectionis est regula, impleris in nostram propriam utilitatem, & cælum das eam facienti in terris. Quando dignè sacrosanctum corpus & sanguinem tuum sumo, cælum

lum sum, quia Deus in me habitat, & sicut tunc quasi in cælis tibi me totum dedico, ita & in terris postmodum, sive quando resumam alia negotia, tuam in omnibus sanctissimam voluntatem adimplere paratus sum. *Panem nostrum supersubstantialem* SS. Corpus tuum dona nobis hodie, nec speciebus panis & vini dissolutis recede à me, donec multiplici gratiæ ac meriti augmento benedixeris animæ meæ. *Dimitte nobis debita nostra*, à peccatis animam purga, ut in statu gratiæ te accipiam. Copiosa est redemptio tua ob infinitum sanguinis tui pro me effusi pretium, quod velut in deposito est in scrinio Venerabilis Sacramenti. In unione autem immensæ caritatis tuæ [quâ in Cruce dixisti: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*] animo sincero & tibi noto dimitto debitoribus meis, & ignosco ac condono omnibus, qui mihi unquam voluerunt, fecerunt, volunt, faciunt, volent, facient malè. Imò ad tuum exemplum malefacta beneficiis rependere, semper & ubi potero, paratus sum. Adhuc semel repeto, & dico in confidentia tibi, qui corda nôsti, & renes scrutaris omnium, dimitte mihi, sicut ego dimitto, cumque eo majori gustu ac complacentia intra in cor meum. *Et ne nos inducas in tentationem*. Adjuro te per ipsum corpus ac sanguinem tuum, quem jam sumpturus sum, vel sumpsi, ne finas in talem me unquam tentationem induci, cui succubiturus sum. Ut, sicut jam in gratia tua, ut confido, sum, & per tui sumptionem magis confortor, sic nec in vita nec

*Solida devotionis exercitia.* 243

nec in morte ea excidam. *Deus ab austro veniet, & Sanctus de monte Pharon.* *Cornua* (arma & instrumenta passionis in manibus ejus, dum quis eum in S. Communione accipit) *ante faciem ejus ibit mors* (peccatum mors animæ eliminatum) *& egredietur Diabolus* totus confusus & enervatus *ante pedes ejus.* Habac. 3. tanquam Ducem, Protectorem, & omnipotentem adiutorem talem contra dæmonem, carnem, mundum te in hoc Sacramento adoro, & intra me fumo. *Liberanos à malo*, peccato scilicet & æternâ damnatione. Ità Domine, tu potes & vis me liberare. In hac omnimoda confidentia accedo, vel accessi ad tremendum Altare tuum. Corpus Domini Nostri custodiat me ab omni malo. *Amen sive fiat.*

*Paraphrasis tertia Orationis Dominica.*

*Sive sancta desideria Superioris religiosi, quibus velut humeris suam familiam sustinere debes.*

*V. Reg. Recl. 1. juxta septem petitiones Orationis Dominica.*

*Decerpere ex illis potest, qua conveniunt, Professor respectu suorum discipulorum, & Paterfamilias respectu domesticorum, & praefectus spiritus in domo religiosa.*

*Pater noster, qui es in calis.*

1. **D**EUS Patrum nostrorum, & Domine misericordiae, ex quo omnis paternitas in celo & in terra nominatur. Ephes. 3. Ecce ego

in Spiritu filiali clamo ad te pro filiis meis, quos dedisti mihi. Joan. 17.

2. Vide Pater misericordiarum, quia posuerunt me custodem in hac vinea. Cant. 1. Qui meam ipsius vineam non custodi. Respice tamen ad orationem servi tui. Tu enim mihi dedisti has animas. Ego autem sum velut puer parvulus, ignorans egressum & introitum meum, 3. Reg. 3.

3. Da mihi obsecro sedium tuarum assidricem sapientiam, Sap. 9. Da cor docile, ut ingrediar, & egrediar coram hoc populo tuo, 3. Reg. 3. Rogo te pro meis, ut sis illis in Patrem, & illi sint tibi in filios. Quia pater & mater dereliquerunt eos. Pl. 26. Tu autem Domine assumpsisti eos, & collocasti eos cum Principibus, cum Principibus electi populi tui. Pl. 112.

4. Pater iuste, fac corda omnium meorum templa mundissima, ut tu cum Filio tuo & Spiritu S. ad eos venias. Mansionem in eis tanquam caelis tuis facias. Joan. 14. Et cognoscant omnes in laetitia cordis sui. Quia tu Pater noster in medio nostri sanctus Israel. Sophon. 3.

*Sanctificetur nomen tuum.*

1. **P**ater sancte, quos dedisti mihi, de mundo non sunt, & ego de mundo non sum. Joan. 17. Sanctifica igitur eos in veritate, ut nomen tuum in iis sanctificetur, Ibid.

2. Hac est vita aeterna, ut te Deum verum cognoscamus. Joan. 17. Timeamus, colamus, amemus, & sanctificemus. Rogo itaque pro meis, ut haec vita in eis sit, & veraciter sanctificent

ficent nomen tuum sanctum & gloriosum in sacula.  
Dan. 3.

3. Pater sancte, abyssc omnis sanctitatis, da ut tuâ gratiâ prior ego sanctificem me ipsum, & mei sanctificati sint in veritate. Joan. 17. Et qui iusti sunt, iustificentur adhuc, & qui sancti sunt, sanctificentur adhuc. Apoc. 22.

*Adveniat regnum tuum.*

1. **R**ex Regum & Domine Dominantium, rogo; ut quos dedisti mihi, tu ipse regas eos, & extollas illos usque in aeternum. Hymn. SS. Ambros. & August.

2. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Luc. 22. Non ita erit inter nos. Rectorem me posuerunt, nolo extolli, sed cum gratia tua ero quasi unus ex eis. Eccli 32. Non dominans in populo, sed quasi forma gregis factus ex animo. 1. Petr. 5.

3. Tuum unius regnum veniat super me ac meos. Luc. 1. Tibi serviatur ab omnibus nobis in sanctitate & iustitia coram te omnibus diebus vitæ nostræ; quia tibi uni servire regnare est. Ut tandem, ubi tu es in regno tuo, mei sint mecum, & videamus claritatem tuam, & quam dedisti unigenito tuo. Joan. 17.

*Fiat voluntas tua.*

1. **E**cce Domine populus tuus iste elongavit fugiens. Pl. 54. & mansit in consilio iustorum & congregatione. Pl. 110. Ut faceret voluntatem

tatem tuam bonam, beneplacentem & perfectam. Rom. 12. Mirifica obsecro omnes illorum voluntates. Pl. 15. in sanctissimo tuo beneplacito, ut in veritate vocari possit voluntas tua in eis. Il. 62.

Vide Domine, filii mei filii excussorum, & sicut sagitta electa in manu potentis. Pl. 126. Evi-  
brantur, excutiuntur à te ad hominum corda amore tuò, laucianda. Excussere se ab omnibus, quæ ad contrariandum voluntati tuæ possent inducere, excutiuntur, vel persecutionem patiuntur à tuis hostibus. Sint in omnibus viri voluntatis tuæ; & quia certius eam implere non possunt quàm obediendo Superioribus, da, ut S. obedientiæ & resignationis jugum tollant super se. Matth. 11. Et discant à te Domine JESU, quia tu obediens fuisti usque ad mortem, mortem autem Crucis. Philipp. 2.

3. O Domine sicut fuerit voluntas tua in calo, sic fiat. 1. Machab. 3.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

1. **E** Ja Pastor bone, cognosce oves tuas, & cognoscant te tuas. Joan. 10. Pasce gregem tuum in brachio tuo. Congrega agnos in pascuis uberrimis. Ezech. 34. Pasce eos in montibus excelsis Israel.

2. Ecce Domine, quos dedisti mihi, profugi à facie mundi in maligno positi. Joan. 5. non triduo tantum, Marc. 8. sed in omni vita sustinent te. Quomodo igitur potes non misereri super turba hac Luc. 12. ut cetera omnia non adjicias

*sticias querentibus primum regnum Dei, & justitiam eius, Providentia tua Pater pascat & gubernet filios tuos, quia tu bonus es, neque pateris, ut sit inopia, querentibus te Domine. Pl. 33.*

3. *Domine Subditi mei non sunt de numero eorum, qui appendunt argentum non in panibus, & laborem suum non in saturitate Il. 55. Justitiam & veram perfectionem esuriunt filii mei. Matth. 5. Eligunt operari cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. Joan. 6. Ejusmodi cibus gratia tua, SS. Sacramenta tua. Eloquia tua dulcia faucibus nostris super mel & favum. Pl. 118. Obsecro Domine, nunquam obliviscar cum filiis meis comedere panem hunc. Pl. 101. Quotidie concalescat cor nostrum intra nos, Pl. 38. & in meditatione nostra exardescat ignis ille, quem venisti mittere in terram. Luc. 12. Sic fiet o Pastor bone, maxime si pane vitæ, quod est corpus tuum, dignè saturemur, & ex cella vinaria ( in quam nos introducis Cant. 1. propinando sanguinem tuum ) caritate erga te inebriemur. Fiet inquam, ut sicut adipe & pinguedine repleatur, Pl. 62. & delectetur in crassitudine anima nostra. Il. 55.*

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

1. *SI peccaverint aliquando in te filii mei ( non enim est homo super terram, qui non peccet, & septies in die cadit justus ) operi manuum tuarum o Pater porrige cito dexteram tuam. Job. 14. Ut erigas elisos, Pl. 145. & alliges contri-*

tiones eorum. Pl. 146. *Nec regnet peccatum in mortali nostro corpore.* Rom. 6.

2. Noli permittere Domine, ut subditi mei *spernant modica* Eccli 19. & paulatim decidant, & maneat. *Fiat in illis supra modum peccans peccatum.* Noli permittere, ut *abyssus abyssum invocet.* Pl. 41. Vel simul *abyssus peccati abyssus nihilitatis,* & *dilecti tui faciant in domo tua scelera multa.* Jerem. 11. Interim *abyssum infinitam divinæ misericordiæ jugiter invocent.*

3. Pater iuste tolle de hoc regno tuo omnia scandala. Matth. 13. *Purga & perfice* Pl. 79. *palmitem, vineam tuam, ut fructum plus afferat.* Joan. 15. Ne sint obsecro inter filios dilectionis tuæ *ira & indignatio.* Ephes. 4. *Nec radix amaritudinis sursum germinet.* Habac. 12. Sed de cordibus suis remittant sibi mutuas offensiones, sintque *consummati in unum,* sicut tu cum *Filio tuo & Spiritu S. unus es.* Joan. 17. *Et cognoscat mundus; quia natio nostra obedientia est & dilectio.*

*Et ne nos inducas in tentationem.*

1. **P**rotector potentia, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & umbraculum meridiani. Eccli 34. *obumbra* quæso per gratiam tuam *super capita filiorum meorum in die tam periculosi & continui belli.* Pl. 139.

2. Quod si fortè *tentatio apprehenderit* 1. Cor. 10. quemquam ex eis, quos *dedisti mihi de mundo.* Festina Domine, Pl. 69. ut fias ei  
adjuv

*adjutorium casus.* Eccli. 34. Eripe illum *de luto*, ut non *infigatur in profundum.* Pl. 68. Nec *tradatur à desiderio suo peccatori.* Pl. 139. Et *abeat vagus in via cordis sui.* Il. 57. Et *pereat de via iusta.* Pl. 2.

3. O Christe *crucifixe protege* Pl. 26. *viscera mea in aperto latere tuo, in abscondito vulnerati cordis tui.* Defende illos *sub tegmine, velamine, asylo alarum tuarum* in Psalm. variis. Sint illis *urbs refugii* Jos. 21. *vulnera tua, Foramina petra* Exod. 33. *Sicque Accusator fratrum nostrorum* Apoc. 12. *Frustra jaciatur rete ante oculos pennatorum.* Prov. 1.

4. Pater sancte, quia commisisti mihi has animas. Da, ut cum cura *vigilem super eas tanquam rationem pro iis redditurus.* Hebr. 13. *Diligenter considerem, agnoscam vultum pecoris mei.* Prov. 27. Nec ignorem *astutias inimici contra filios meos.* Simus obsecro, *quotquot in sublimitate, tuâ voluntate, positi sumus, 1. Tim. 2. velut pii Samaritani in lenitate & mansuetudine suscipientes infirmos, infundentes vinum & oleum in vulnera Luc. 10. tentatorum. Infunde nobis scientiam Pastor bone consolidandi in grege nostro, quod infirmum est, quod confractum est alligandi, quod abiectum est reducendi.* Ezech. 34. *Ne, quos dedisti nobis, perdamus ex iis quenquam, nec sit in numero nostro filius verditionis Joan. 17. degenerans ab excelsis cogitationibus filiorum Dei, factusque in ruinam, & devorationem bestiarum agri.* Ezech. 34.

*Sed libera nos à malo. Amen.*

1. **D**Eus adjutor noster in æternum *serua eos,*  
quos dedisti mihi in nomine tuo. Rogo  
inquam, Pater sancte, ut *serues eos à malo* Joan.  
17. sive reatu culpæ & pœnæ.

2. Amen Pater juste fiat, fiat, quod peto;  
quia complacuit tibi in corde meo suscitare pro  
filiis meis *concupiscentias sempiternas.*

3. Oro te per illud *elogium* filii tui *ignitum*  
*vehementer* Pl. 118. quando transiturus ex hoc  
mundo ad te Patrem suum pro suis, qui erant  
in mundo, rogavit cum *lacrymis & clamore va-*  
*lido.* Hebr. §. Exaudi desideria cordis mei, &  
dirige me in custodia gregis mei, ut ego & illi  
pariter *seruiamus tibi in corde perfecto.* Donec  
te *Deum Deorum videamus in Sion.* Pl. 83.

NB. Licet parva detur mora *Prelato orandi.*  
Tamen, quia pro aliis debet ex officio orare, da-  
tur ei quandoque propter alios copiosior orandi gra-  
tia, ut quibus prodest agendo, possit etiam orando  
prodesse. S. Bonavent. de sex aliis cap. 8.

§. 2dus,

*De peculiaribus aliquot devotionis exercitiis erga*  
*B. V. Dei Matrem.*

### P R A X I S P R I M A.

**C**onsistit in devota recitatione Officii Im-  
maculatæ Conceptionis. Sicut enim hoc  
Dei

Dei donum præcipuum est decus Deiparæ, ita  
ejus cultus est ipsi gratissimus, nec ab homine  
Societatis is sanè negligendus est; cum per eum  
impetretur donum castitatis. Officio subjungi  
possunt *Orationes sequentes tres.*

*Prima.*

**A** Bæterno in æternum immaculata in mente  
Dei, sine macula concepta, nata, concipi-  
ens, pariens, moriens Dei Mater augustissima  
Maria. Fiat cor meum immaculatum, ut plus  
amet, honoret te, apud omnes extollat te plus,  
quam ulla unquam creatura possit offendere te.  
Tu inchoasti, impetra, ut ego finiam vitam sine  
macula. Per immaculatam Conceptionem,  
Nativitatem, Mortem, ac æternitatem tuam fe-  
licissimam te obsecro. Exora cordi meo illam,  
quæ ad benè agnoscendum ac videndum Deum  
requiritur, munditiam. Habeam cor, quod  
cordis tui sancti amores omnes offerat pro se Fi-  
lio tuo Jesu Christo. Omnes terreni amores  
habent maculas suas, & ipsi sunt macula. Do-  
ceat me cor tuum amores immaculatos æternos.  
Non sum dignus amare, laudare te, sed tu dig-  
nare sincera clientis ac filii tui suspiria acceptare.  
Amen.

*2da pro Societate.*

**A** Mabilissima Virgo Maria congregationum  
omnium sanctarum, ac præcipuè religio-  
sarum, quæ sub tua protectione militant, &  
favore tuo disciplinam ordinis servant, verè  
Mater & Patrona. Memor esto hujus minimæ  
Societatis dilectissimi Filii tui D. N. J. C. quam  
posse-

possedisti ab initio, & sub pallio tuo contra omnes adversantium impetus custodis, quamque ob propagatum immaculatæ Conceptionis tuæ cultum prærogativâ castitatis à filio tuo impetratâ decorâsti. Promove & serva illam semper in nomine tuo, nosque clientes ac filios tuos misericorditer respice. Paupertate, castitate, caritate, sinceritate, humilitate, fortitudine in agendo ac patiando pro Dei gloria, zelo animarum, orationis spiritu, & tenerâ ac constanti erga Immaculatæ Conceptionis tuæ Mysterium devotione conspicuos effice, atque ab omni malo præsertim relaxationis instituti defende. Amen.

*3tia vicijus te indies B. V. dedicas.*

**S**ancta Maria Mater Dei & Virgo, ego N. peccator vilissimus, & undequaque purissimo conspectu tuo indignissimus, impulsus desiderio tibi serviendi, ac fretus pietate tuâ singulari, coram benedicto filio tuo & curiâ cælesti universâ dedico me tibi hodie in servum & mancipium tuum, eligoque te in singularem meam Dominam, Matrem & Advocatam; & firmiter propono, me nunquam te derelicturum, sed semper honorem tuum, & maximè Mysterium Immaculatæ Conceptionis tuæ in primo Conceptionis momento defensurum. Te itaque Virgo sacrosancta per sanguinem unigeniti Filii tui JESU Christi oro, ut me in servum perpetuum admittere digneris, ad sisque mihi in omnibus necessitatibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ, Amen.

Post

Post orationem hanc reflecte paulisper, quid hodie specialiter in honorem B. V. agere, pati, &c. velis.

PRAXIS SECUNDA.

Consistit in quotidiana devota recitatione Litaniarum Lauretanarum. Cui subjunguntur consuetæ preces: *Sub tuum præsidium, &c.* Item tres salutationes Angelicæ totidemque oratiunculæ sequentes.

*Post 1. Ave Maria.*

Domina mea S. Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita quæso mihi adsis in hora mortis elongando à me omnem contrariam potestatem.

*Post 2. Ave Maria.*

Sicut Filius Dei tantâ te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cælum illumines, ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres ac corrobères, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

*Post 3. Ave Maria.*

Sicut Spiritus S. suum amorem tibi plenè infudit, ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilles, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suavissima. Amen.

## P R A X I S T E R T I A.

**C**onsistit in crebra gratiarum actione Deo contestanda pro B. V. nobis in Matrem datâ, beneficiis ipsi, & per ipsam toti mundo concessis, in amorosis affectibus erga ipsam, ejusque imitationem, quæ exprimentur in orationibus sequentibus.

1. **P**ater noster gratias ago tibi pro Matre, quam dedisti JESU filio tuo pro nobis, ô verè in infinitum infinitæ ad amandum liberalitatis Deus. Gratias ago tibi, quòd, cum mererer, ut contererer me propter *ad inventiones* meas *peffimas*, quibus reliqui te, tu tamen notas feceris in populis *ad inventiones* tuas, & ex nova misericordiæ tuæ redundantia Mariam filii tui Matrem, amoris tui Mysterium pro tessera felicitatis dederis mihi in Dominam ut servo, in Patronam ut clienti, in Matrem ut filio. Da, ut illi sim servus fidelis, devotus cliens, obediens filius, ita ut sunt illi, quos amas.

2. **G**ratulor divinitati, amoris, liberalitati tuæ Deus Mariæ Creator, & gratias ago tibi pro gratia omni & gloria, quâ illam ornâsti. Gratulor tibi Domina de amore, quo à Deo amaris, & illum amas, deque omni dignitate in cælo & in terra, miraculis in tui honorem patratis, imaginibus, libris in tui laudem scriptis, sculptis, impressis, & quidquid in eundem finem fit, factum est, fiet. Per omnia illa te rogo, impetra mihi, ut sanctè amem te, &  
amen

amer à te usque in finem, sicut ii, quos maximè amâsti.

3. **H**Æc est voluntas tua mi Deus, qui nos totos teste Bern. voluisti habere per Mariam; ut illam totis medullis cordium, totis præcordiarum affectibus veneremur. Fiat voluntas tua Deus, da, quod jubes. Da, ut illam tuo exemplo amem, qui illam adeo honorâsti. Da, ut illam plus amem, quàm illam oderint omnes Diaboli, & omnes Hæretici, omnesque inimici tui. Et ità colam, amem, sicut amârunt ii, quos istâ gratiâ maximè honorâsti.

4. **D**omine JESU, qui facis voluntatem Patris tui, ipse mater tua est; ut dixisti. Da, ut in hoc imiter Matrem tuam. Ut ità audiam verbum Dei, & custodiam illud, ità faciam omnem voluntatem Patris tui, ità te Mariæ filium in sanctissimo Sacramento tractem; sicut fecit illa, cujus beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. Amem te corde illius, illam tuo.

5. **G**ratias tibi ago Deus meus pro beneficiis orbi universo per Mariam destinatis. Da ut in amanda illa imiter Jesum, & omnes Sanctos tuos, quos in exemplum dedisti nobis. Da ut, quæ de illa in illorum gestis lego vel audio, vel quæ tu mihi inspirare dignaris, conservem in corde meo, pro posse meo imiter, & aliis quoque id persuadeam. Utinam possem illam colere omnibus mundi thesauris illius honori impensis, & cordibus omnium verorum suorum Clientum.

6. Sancte

6. **S**ancte Iosephe, castissimæ Virginis castissime Coniux, qui tam fideliter ei in natiuitate Christi, nutritione, itinere in Ægyptum, reditu in Judæam, indagatione per triduum Ierosolymis adstitisti; & ab ipsa vicissim usque ad ultimum vitæ tuæ halitum tam copiosam consolationem accepisti. Sancte Joannes Baptista, qui ad Mariæ vocem in utero exultasti. Sancte Joannes Apostole, qui illi à Crucifixo Iesu in filium datus, illam ab eodem in Matrem & in tuam accepisti. Sancte Gabriel & singuli ac omnes Angeli seu Custodes Mariæ seu Ministri, qui nocte, Virginis parientis cecinistis, Pastoribus gaudium magnum evangelizastis, Iosepho locuti estis, & quid ei ratione Virginis faciendum intimastis, & qui omni modo Beatissimæ Virgini servivistis, & illius clientes ad illam verè amandam erudivistis. Gratias ago vobis omnibus & singulis, & rogo, ut iuuetis me, ut illam ita colam, ut meus erga illam & amor & cultus sit maximè gratus Deo & ipsi Matri Dei.

7. **D**omina, per omnem tuam gratiam & gloriam te rogo. Impetra mihi, ut meus erga te amor semper crescat, & alios ad te alliciat. Ut purissimam tuam humilitatem, modestiam, caritatem, constantiam, prudentiam, pietatem perseveranter imiter, de te assidue legam, audiam, cogitem, loquar, juvenes, senes, viros, pueros, summos, imos utriusque sexûs sive in Concione ad populum, sive in familiari discursu & conversatione ad tui amorem, venerationem ac devotionem maximè erga

Myste-

Myſterium Immaculatæ Conceptionis tuæ efficaciter inſtigem, Sanctos in te colendo imiter, tibi addictos in terra, purgatorio, cælo præcipuè amem, familiam tuam, S. Annam Matrem tuam, S. Joachim Patrem tuum, S. Joſephum Sponſum tuum, & ſuper omnia Filium tuum D. N. J. C. unicè diligam. Te operibus pœnitentiæ ac mortificationis, te ſcriptis, oratione, in imaginibus, in feſtis, & omnibus exaggeratæ erga te pietatis inſtrumentis honorem, eos, qui aliquid pro tua gloria faciunt, & ea, quæ faciunt, favore, amore, honore proſequar. Modos, quibus Eccleſia Dei te honorat, exquisitè obſervem, te cum omnibus caris tuis frequenti oratione jaculatoriâ ſalutem, nihil conſilii capiam te inconfultâ, modos te colendi adnotem, inſpirationibus obſequar, pro augendo tuo in Eccleſia Dei cultu, & maximè propagatione cultûs Immaculatæ Conceptionis tuæ ferventer orem, & nihil non intentatum pro honore tuo relinquam. Tibi me, cubiculum, domum, patriam, hanc urbem, agonizantes omnes, potiſſimum in hac domo, ſingulas meas horas, dies, hebdomadas, menſes, annos mortis meæ, tempus ex toto corde dedicem, teque omnibus piam ac benignam cuſtodem ſupplex præficiam, ex amore tui ad ſolidam virtutem me duci ſinam, opera bona per te filii tui ac tuis meritis uniam, & Deo ſingula, quæ unquam cogito, dico, facio cum corpore & anima, omnibusque ejus potentiis perfectè offeram. Te virtutis Magiſtram, altricem, normam ità, ut Deo gratiſſimum erit,

erit, ad summam ejus gloriam sequar, ubique & in omnibus, injurias tibi illatas vel inferendas omni officio pietatis sarciam, & viribus totis per me aliosque propulsem. Te his omnibus, & omnibus, quos mihi Deus per te suggerere dignabitur, modis, corde, linguâ, opere amem, colam, reverear ut Dei Matrem; denique optimè & flagrantissimè atque constantissimè amem Deum in te, & te in Deo propter Deum, atque ab illo ac te amer, moriarque morte verè Deum, verè te amantium; & in beatissima æternitate gratuler Deo de te, & tibi de Deo, & unâ tecum illum videns in lumine viventium, & amans & laudans dicam: *Alleluja. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Gloria Patri & Filio, & Spiritui S. sicut erat in principio & nunc, & semper, & in sacula seculorum. Amen.* Hæc & similia ex intimo corde evibrabo crebriùs ad majorem SS. Trinitatis, Deiparæ, omnium Angelorum & Sanctorum gloriam, & solidum ultimi agonis mei solarium.

*Praxis quarta consistit in devota recitatione Rosarii, cujus varia praxes vel modi ad majoris devotionis augmentum à viris piis inventi sunt.*

*Primus Modus orandi Rosarium cum reflexione ad 15. Mysteria.*

**P**rimus orandi Rosarium Modus reflectit se super quindecim præcipua Mysteria Christi  
Do-

Domini & S. Matris ejus, in singulis autem decadibus & granis, ad quæ oratur *Ave Maria*, post hæc verba *benedictus fructus ventris tui Iesus* unum ex his mysteriis subicitur. Quinque ex his vocantur *gaudiosa*, ut Annuntiatio, Visitatio, Nativitas Christi Domini, ejusdem præsentatio, ejusdemque in templo inventio. Alia quinque dicuntur *dolorosa*, ut Oratio Christi Domini in horto cum sudore sanguineo, Flagellatio, spinea Coronatio, Crucis Bajulatio, & ipsa Crucifixio. Alia demum quinque vocantur *gloriosa*, ut Resurrectio D. N. J. C. Ascensio, Sessio ad dextram Patris, Missio Spiritûs S. Assumptio ipsius B. V. & gloriosa ejus in cælis Coronatio. Prout jam varium est tempus anni. Sic hæc Mystera inter recitationem Rosarii recoli possunt. Et ut magis accendatur devotio, distractiones cohibeantur, & cum fructu oretur Rosarium, Post quamlibet decadem hæc duo observa. *Primò.* Perpende breviter Mysterium illud, quod ad decem grana recoluiisti, & prorumpe in convenientes Mysterio affectus gaudii, doloris, exultationis. *2dò.* Necessitates aut miseriam, quâ premeris, Christo Domino ejusque amantissimæ Matri propone, & remedium pete per ipsum illud gaudium, dolorem, vel gloriam, quam ad decem grana expressisti. Et sic perge ad recitationem sequentis decadis.

*2dus Modus reflectens ad sex principales  
B. M. V. virtutes.*

**S**ecundus Modus orandi Rosarium est meditari & venerari virtutem aliquam B. V. in singulis decadibus. V. g. in prima summam B. V. humilitatem. In 2da puritatem ab omni etiam originali, veniali peccato, & cujuscunque imperfectionis navo. In 3tia perfectissimam obedientiam. In 4ta admirabilem in crucibus & adversis patientiam. In 5ta ardentem ejus erga Deum & homines caritatem. In 6ta orationis & contemplationis studium, & ut id cum majore merito & fructu facias. Postquamlibet decadem respira paulisper, & hæc tria observa. Primò vivaciter intuere heroicis actus, quos ipsa Virgo circa singulas virtutes exercuit. Admirare ejus sanctitatem, gratulare & gaudere de illa. 2dò. Conjice oculos in ejusdem virtutis defectum, quem in te deprehendis, simulque in culpas tuas, & desuper magnum pudorem & humiliationem concipe. 3tiò. Fac serium propositum B. V. in hac illa virtute imitandi; & ad id per ejus intercessionem gratiam à Deo postula. Exprimitur autem virtus B. V. post hæc verba *S. Maria* addendo *humillima, purissima, &c.*

*3tius Modus reflexio ad beneficia à Deo accepta.*

**T**ertius Modus continet meditationem beneficiorum à Deo acceptorum v. g. in prima decade post verbum *Iesus* beneficium creationis.

nis, *In 2da* Conservationis & gubernationis, *In 3tia* Redemptionis, *In 4ta* vocationis ad fidem Catholicam, religiosum statum, &c. *In 5ta* Justificationis sæpiùs per Sacramentum Confessionis reiteratæ, beneficiorum item aliorum particularium. *In 6ta* glorificationis in cælo; quam Deus tibi ab æterno præparavit, & quâ te in æternum fruiturum speras. Et similiter post quamlibet decadem altiùs idem beneficium paulisper rumina, & prorumpe in congruos affectus gratiarum actionis, contritionis fac propositum hoc illud beneficium meliùs imposte- rum agnoscendi, ejusque finem assequendi,

*4tus Modus reflectere ad peccata § 4. novissima.*

**Q**uartus Modus cujusdam hic erat. Habe-  
bat Rosarium ex quinque decadibus, *Qua-  
rum prima* decem minora grana erant di-  
versi coloris, & in ea post verbum *Jesus* revo-  
cabat in memoriam multitudinem & diversita-  
tem peccatorum suorum, & petebat veniam,  
*In 2da decade*, cujus grana pallidi erant coloris  
post verbum *Jesus* cogitabat de primo ex 4tuor  
novissimis scilicet morte, quomodo se ad eam  
scilicet indies prepararet, & petebat. Ut tunc  
*Jesus* esset ei *Jesus* sive Salvator. *In 3tia deca-  
de*, cujus grana erant rubra, post verbum *Je-  
sus* recolebat de flagaturum per ignem, mundum,  
& extremum diem judicii, & petebat à dextris  
tunc collocari prævio propitio judicio particu-  
lari. *In 4ta decade*, cujus grana erant nigra  
post verbum *Jesus* descendebat in inferni igneas  
tene-

tenebras vivens, ne descenderet mortuus. In  
 5ta decade, cujus grana erant tūm aurei tūm  
 cœrulei coloris post verbum *Iesus* oculos men-  
 tis attollebat in cælum, & mox in affectum gau-  
 dii, mox ardentis desiderii, mox doloris de cæ-  
 lo toties per peccatum perditio prorumpebat.

*5tus Modus cum omnibus Angelis & SS. laudare  
 B. V. & per septem decades,*

**Q**uintus Modus orandi cum fervore & ala-  
 critate Rosarium est hic. In prima decade  
 conjungis te Choro Angelorum dicens: *Ave  
 Maria Regina Archangelorum & Angelorum.*  
 Post verba *Sancta Maria* dicitis: *Decies millies  
 benedico ac laudo te cum Angelis & Archangelis*  
 hic in terris, postmodum te in æternūm lauda-  
 turus in cælis in hunc finem Mater Dei ora pro  
 nobis &c. In 2da decade conjungis te Patriar-  
 chis, Prophetis, & omnibus Sanctis veteris  
 testamenti dicens: *Ave Maria, Regina Patri-  
 archarum, Prophetarum, omniumque V. testa-  
 menti Sanctorum.* Post verba *Sancta Maria:*  
*Vigesies millies benedico te ac laudo cum Patriar-  
 chis, Prophetis, omnibus SS. V. testamenti hic in  
 terris, & postmodum in æternum te laudaturus  
 cum illis in cælis.* In hunc finem Mater Dei ora  
 pro nobis &c. In 3tia decade conjungis te Apo-  
 stolis, Evangelistis, aliisque Domini Disci-  
 pulis. In 4ta conjungis te Martyribus. In  
 5ta Confessoribus. In 6ta SS. Virginibus,  
 Viduis conjugatis in cælo regnantibus. Et ad  
*Ave Maria* salutas illam tanquam *Reginam Apo-  
 stolo-*

*Roborum, Martyrum, Confessorum, Virginum.*  
 Et post hæc verba *Sancta Maria* ascendendo in  
 qualibet decade dicis: *Trigesies, quadragies,*  
*quingages, sexages millies benedico ac laudo*  
*cum Apostolis, cum Martyribus, &c. aternum te*  
*cum iis laudaturus in celis. In hunc finem Mater*  
*Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora*  
*mortis nostræ. Amen.*

In septima decade totum cælum commoves,  
 & post *Ave Maria* dicis: *Regina Angelorum,*  
*Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum,*  
*Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium*  
 in lege naturæ, scripta & gratiæ Sanctorum. Post  
 verba *Sancta Maria* imaginaris tibi, quod om-  
 nes hi in Choros divisi in aureis sedilibus seden-  
 tes simul assurgant, inclinent se Reginæ cæli,  
 adorent Christum & SS. Trinitatem, dicisque:  
*Laudo te cum his omnibus, & in aternum centies*  
*millies te laudare, Filium tuum & Deum Tri-*  
*unum adorare, eoque tecum in aeternum frui de-*  
*sidero. In hunc finem Mater Dei ora pro nobis*  
*peccatoribus, &c.*

Demum quotiescunque dicis *Ave Maria* sive  
 in recitatione Rosarii sive aliàs, id semper de-  
 votè fiat. *Primò.* Quia hujus salutationis Au-  
 tores sunt Angelus usque ad verba *Dominus te-*  
*cum* inclusivè. *Elisabeth* inclusivè usque ad  
 verba *Benedictus fructus ventris tui.* *Sequen-*  
*tium* verò *sancta Mater Ecclesia.* *2dò.* Quia  
 laudes summas benedictæ Deiparæ in compen-  
 dio complectitur. *3tiò.* Quia nil B. V. gratius  
 est, maximè si post verba *Ave Maria* addas quo-  
 que:

que: *Immaculatè concepta in primo conceptionis momento.* Sanctæ Mechtildi cogitanti, quæ precatio B. Virgini gratissima esset, illa ei apparuit cum his aureis in pectore litteris *Ave Maria, gratia plena. Dominus tecum.* Per *Ave* inquebat, dedit mihi Deus Pater potentiam, ut superarem omne peccatum. Per *Maria* Filius dedit sapientiam, ut sim sydus cæli, terræ ac maris Domina. Per *gratiâ plena* Spiritus S. ita me fecit plenam gratiâ, ut, qui me quærit, gratiam inventurus sit, quæ semper effluat. Magnum etiam sentiet in morte solatium Cliens Marianus, si quotidie cum singulari devotione ac confidentia hæc verba exprimat: *Eia ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.*

*Modus recitandi coronam in honorem s.  
vulnerum Christi.*

**A**D crucem Coronæ dic *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Ad majus granum antea tria parva adora caput Christi, & dic: *O bone Jesu exaudi me, intra tua vulnera absconde me.* Ad tria grana parva recolens animo tres clavos, quibus Christus Cruci affixus est. Dic: *Eia Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide.* Porro ipsa corona constat s. partibus. Quælibet pars quinque granis minoribus & uno majore. Ad majus granum recitatur *Ave Maria* in honorem afflictissimæ Deiparæ filio patienti condolentis, cujus animam sub Cruce ideo pertransivit gladius. Ad minora grana singula ora-

oratur *Pater noster*. In prima parte in honorem *S. vulneris pedis sinistri*, petiturque ex contrito corde peccatorum venia. In 2da parte in honorem *vulneris S. pedis dextri*. Et petitur gratia resistendi tentationibus, vitandi pericula, occasiones peccatorum, & in virtutibus progrediendi. In 3tia parte in honorem *vulneris S. manus sinistrae*. Et petitur ab aeterna damnatione & a loco, ubi in extremo die stabunt damnati a sinistra Judicis, liberatio. In 4ta parte in honorem *S. vulneris manus dextrae*. Et petitur magna cum fiducia aeterna beatitudo. In 5ta parte in honorem *S. vulneris lateris*. Et petitur, ut usque ad ultimum vitae halitum in eo & corde Jesu habitare tibi liceat, & obtineas sincerum ac constantem Jesu ac Mariae amorem. Ex haecenus allatis patet nil superstitiosi, ut criminantur Sectarii, contineri in devota recitatione Rosarii, sed eam servire in ordine ad mysteria fidei nostrae magis magisque inculcanda, quae hominem a peccatis abstrahunt, & ad virtutem solidamque devotionem impellunt. Ecclesia Mater nostra hoc ipsum in officio solennitatis Rosarii docet sequenti oratione.

Deus, cuius Unigenitus per vitam, mortem & resurrectionem suam nobis salutis aeterna premia comparavit. Concede quaesumus, ut hac mysteria sanctissimo B. M. Virginis Rosario recolentes & imitemur, quod continent, & quod promittunt, assequamur. Per eundem D. N. J. C. Amen.

§. 3<sup>ius</sup>.

*Orationes ad Angelos ac sanctos Patronos.  
Ad Angelum Custodem.*

**O**bscuro te Angelice Spiritus Custos ac Tutor meus fidelis, ut me custodiæ ac protectioni tuæ ex divina bonitate commissum in via pacis, prosperitatis & salutis hodie semperque dirigas, atque ab omni spiritu malo, gravique tentatione defendas.

Nôsti mi dulcissime Custos, quòd conditus sim ad Dei ipsius Angelorum & hominum creatoris imaginem, quodque mihi quâ homini ex corde faveris, ut redimerer per Deum hominem, & hic meus Redemptor non tantum, sed & benedicta ejus quâ hominis mater exaltaretur super omnes Angelorum choros. Dum rebelles Angeli humanæ se naturæ subicere nolentes præcipitati sunt in tartara. Jam præterea tu mihi ineffabili Dei benignitate ac providentiâ in curatorem & tutorem peculiarem traditus es. Et quorsum hæc omnia? nisi ut non perderet hostis invidia, quem tanta circumdat Dei bonitas & clementia. Assiste ergo tu mihi fidei custodia, ne frustrentur in me tanta divina bonitatis insignia. Carissime Angele precor te per amorem clementissimi Dei, à quo cæteris Angelis reprobis de fastigio felicitatis suæ per superbiam corruentibus, tu unâ cum bonis in gratia & gloria servatus es, precor inquam, ut  
ego

ego te favente & curante sentiam auxilium illud  
Dei per gratiam congruam, quo server à lapsu  
& periculis, in gratia verò sanctificante, bonif-  
que operibus, & Dei mei cultu ac amore con-  
stans permaneam, donec ad visionem ejus in  
cælesti patria perveniam, unâque tecum, & cum  
Sanctis omnibus eum laudem & amem per om-  
nia sæcula. Amen.

Doleo, quòd præsentiam tuam toties inho-  
norarim, pro tot beneficiis ingratus extiterim.  
Sed tu nihilominus supplicâsti pro me apud  
Deum, ut tanquam arborem infructuosam nec-  
dum eradicari & in ignem mitti juberet. Et  
me Deus ad tuas preces ex infinita bonitate sua  
conservavit hætenus. Tu porrò perge me tue-  
ri, & ad viam salutis ducere. Concilia mihi  
Archangelum Michaellem, quando me post  
mortem duces ad iudicium.

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi  
commissum pietate supernâ hodie illumina, cu-  
stodi, rege, gubernâ maximè in articulo mor-  
tis. Amen.

Vos sancti Throni, Dominationes, Potestates,  
vos milliones Angelorum, sancti Archangeli  
Michael, Gabriel, Raphael imploro, ut mihi for-  
titudinem, gratiam, medicinam contra omnes  
hostes & morbos animæ meæ impetretis in vita  
& in morte. Cogitate, quòd gaudium acci-  
dentale per totam æternitatem vobis augendum  
sit, si ego quoque indignissimus peccator au-  
geam numerum Electorum. Ego vestras præ-  
rogativas, dona à Deo vobis data non nosco. Gra-  
tulor

tulor tamen, quod sub initium creationis vestra vos Deo subjeceritis, & antiquum serpente[m], qui volebat similis esse altissimo, ex cælo exturbaveritis. Scitis, quomodo ille ex rabie & invidia erga humanum genus primum parentem nostrum deceperit, & per hoc totum humanum genus perdidit. Scitis, quod vestra & nostra Regina contriverit caput ejus, & Dominus virtutum ac Rex gloriæ cælum pro hominibus clausum reseravit. Intercedite obsecro, ut & ego sim inter illos, qui loco reproborum Angelorum occupabunt cælestes sedes. Pro vestra intercessione agam SS. Trinitati, Redemptori meo, & vobis gratias in æternum, Amen.

Orationes ad Sanctos Josephum, Joannem Baptistam, Ignatium aliosque V. C. seq. §. 6. ubi agitur de præparatione ad mortem.

§. 4tus.

*De motivis & modis misericordiam animabus in purgatorio detentis exhibendi.*

**P**re-notandum, quod omnia opera bona vel etiam indifferentia debitâ intentione conproprietates. Scilicet quod sint *meritoria, impretatoria, satisfactoria*. Nolo me hic immiscere Theologicis, de his proprietatibus, quæstionibus. Sed me tantum & Lectorem pium excitare volo ad intentionem sæpè sæpius per diem

diem faciendam, quòd offerre velim Deo, quid-  
quid possum ex omni opere pro animabus in  
purgatorio certus, quòd nec ex hoc, quod sit  
*meritorium*, nec ex hoc, quod sit *impetratorium*,  
nec ex hoc, quod sit *satisfactorium*, aliquid pro  
me perditurus, quin potius ingens pro tota  
aeternitate lucrum habiturus sim.

Nam *primò* nil perdo hác intentione factâ ex  
eo, quod opus hoc, illud sit *meritorium*. Non  
enim offertur Deo pro animabus in purgatorio  
ità; ut pars mercedis, quæ tali à Deo operi  
promittitur, applicetur vel donetur animabus  
in purgatorio. Cùm enim merces uni & soli  
benè operanti promissa debeat, non est in po-  
testate ullius hominis partem mercedis à Deo sibi  
dandæ alteri communicare. Interim quòd opus  
quodlibet Deo offeram pro solatio vel liberati-  
one animarum in purgatorio ex motivo caritatis  
& compassionis erga eas, per hoc magna mihi  
causatur meritorum accessio. Si enim frigida  
potus datus sitienti ex motivo supernaturali ca-  
ritatis erga proximum aeternam habet merce-  
dem. Quod præmium non debeo expectare  
à Deo? si intentione jam dictâ ante quodlibet  
opus factâ, sæpiùs renovatâ aut levamen aut li-  
berationem adferam uni animæ in purgatorio  
detentæ. Cujus minimus cruciatus excedit  
omnia mundi hujus tormenta. Si panem fame-  
lico, nudo vestem, pauperi stipem do, infir-  
mum in carcere detentum visito, ager mihi in  
extremo judicii die Christus gratias, easdem,  
quas ageret, si ipsimet hoc caritatis officium

præstitissem juxta illud æternæ veritatis oraculum. *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Eadem ergo merces à Christo expectanda liberatâ animâ ex purgatorio, quam haberem, si erga Christum ipsum hanc misericordiam exhibuissem.

*Secundò.* Nihil perdo ex hoc, quod opus sit *impetratorium.* Si ante id hanc v. g. formem intentionem. *Offero tibi mi Deus hoc opus in se bonum, vel in se idifferens, sed bonâ intentione convestitum. Ut impetrem à te pro me vel alio hoc illud beneficium, & simul: ut satisfaciam pro pœnis adhuc debitis huic vel illi anima in purgatorio detenta.* Quin potius augetur in immensum *vis impetratoria* operis istius simul ex motivo tam excellentis caritatis facti, sicut augetur *vis meritoria.*

*3tio.* Transmissis variis hæc in re Theologorum sententiis, posito; quod nil pro peccatis meis satisfaciam, si omnem satisfactivam vim cujusque mei operis animabus in purgatorio detentis dedicem. An non *pro primo* hic caritatis & misericordiæ actus ingentes mihi meritorum thesauros accumulât per totam æternitatem possidendos? nec imprudentiæ argui potest hæc mea oblatio. An enim *pro 2do* cum hic actus reflexus ingentis sit meriti, reapse & consequenter simul ingentis pro me ipso erit satisfactionis? cum illud Christi Luc. 9. fallere non possit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* An non *pro 3tio* hic actus est unus ex nobilissimis misericordiæ operibus, & quidem excellen-

cellentia tantæ & ut omnia misericordia corporalis opera simul sumpta facile transcendat. Si ergo eleemosyna corporalis à morte liberat, & ipsa est, qua purgat peccata, & facit invenire misericordiam. Tob. 12. Et ipsa est, quæ animam dantis mundat juxta illud Christi Luc. 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Quam vim satisfactoriam habebit hæc spiritualis nobilissima eleemosyna? quâ non corporis sublevatur miseria, sed anima ex acerrimis purgatorii tormentis eruitur. Qua non mundi thesauri aut terræ gleba, sed cæli dantur divitiæ; qua non rerum omnium creatarum & creabilium certa possessio, sed ipse Deus æternum possidendus datur animæ, qua sine me heri aut hodie ejus non fuisset facta particeps, sed hoc ipso tempore, quo jam infinitorum gaudiorum mari per visionem beatificam immergitur, etiamnum pœnâ damni & sensûs torqueretur, incessanter clamans: *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. 19. Denum an non pro quarto inter præcipuos actus vim satisfactoriam habentes numeratur contritio? an non & hæc comitem potest habere actum animabus in purgatorio detentis apprime salutarem? dum scilicet considerans peccata mea (nota benè hanc piam praxin) quibus summum bonum offendi, Deumque infinites inhonoravi, de honore Dei reparando sollicitus statuo per omnia & singula, quæ agam & patiar usque ad finem vitæ meæ, omnes, quas possum, animas ex purgatorio eripere, ut illæ eò citius

Deum pro me laudent & honorificent. Certè cum anima una plus in cælis honoris ac laudis Deo possit tribuere, quàm omnes in mundo. Si eo quoque fine contritum cor meum Deo offeram, intercurrent purissimus erga Deum amoris actus, & consequenter pœnæ pro peccatis meis debitæ minuentur. Nam *universa delicta operis charitas*. Prov. 10. Maximè, si sapiens per diem ingeminem. *O si tam felix essem, ut unam animam ex purgatorio liberarem.* Offero tibi mi Deus hoc ardens desiderium meum purè ex amore tui, ut ab anima ista infinities lauderis citius & ameris.

Sicut jam omne quod agis & pateris modo explicato applicare potes animabus in purgatorio. Sic peculiare quoque preces ut Psalmum *De profundis*, *Officium Defunctorum*, aliaque persolvere poteris. Quæ Ecclesia hunc in finem ordinavit, multam enim in communibus Ecclesiæ precibus fiduciam habeo. Justitiæ distributiæ etiam te memorem esse oportet, adeoque earum præprimis animarum, quibus vinculo sanguinis aut fraternitatis in Christo aut beneficiorum titulo obstrictus es. Item quarum, quòd in purgatorio usque huc detineantur, causa es, vel quòd nimium tibi desideriiisque tuis indulserint, adhæserint, vel tu ipsis, vel quòd exemplo tuo ad hæc illa peccata, sensualitates, inordinatos affectus, regularum transgressiones devenerint.

In honorem Virginis immaculatè conceptæ etiam sæpè pro illis ferventer ora, quæ, dum in  
mor-

mortali adhuc erant corpore, tenero devotio-  
nis affectu mysterium Immaculatæ Conceptionis  
coluerunt. Demum pro iis quoque indies  
ora, quæ ab omnibus aliis maximè desertæ sunt.

§. 5tus.

*De misericordia operibus corporalibus & spiritalibus erga Vivos.*

Quia hoc *Vade mecum* trifariam divisum potissimum dedico viris religiosis, & pro dotis explicatio aut tædiosa aut superflua est. Hinc tantum peto 1<sup>mò</sup>, ut quæcunque demum opera misericordiæ faciant, ea non faciant nisi præmeditatè, & præviâ intentione, & ex motivo supernaturali. 2<sup>dò</sup>. Ut eadem misericordiæ opera, quæ externis faciunt invisendo ægros, iis ad mortem usque assistendo, ea cum pari, si non majore fervore exhibeant suis in Christo Confratribus. 3<sup>tiò</sup>. Ut in elemosynis, si quas cum venia Superiorum suorum aut vi officii distribuendas habent, dandis rationem habeant majoris divinæ gloriæ, & majoris inter eos, quibus elemosyna danda, meriti, non proprii crititii vel minùs ordinati affectûs, & deluper etiam informationem aut consilium expectant, vel ultrò suggestum cum debito phlegmate suscipiant. Ne aliquando, dum mercedem ab aeterno Patre familias expectant, experiantur se omni præmio per se ipsos esse fraudatos, imò & è contrario rationes severas ideo districto

Judici reddendas inventiant. Homo religionis  
 votis obstrictus hac in materia etiam præcavere  
 debet, ne reus fiat læsi voti paupertatis. Con-  
 tra id sine dubio peccat, si pecunias sibi com-  
 missas ita expendat, quasi proprietatem earum  
 aut dominium haberet. Tunc autem sic ex-  
 pendit, quando non expendit juxta voluntatem  
 & potestatem sibi in hoc illove officio à Superi-  
 oribus datam. Hi autem potestatem aliam non  
 dederunt, quam ut, intentioni fundantium  
 ejusmodi reditus conformiter, his v. g. dentur,  
 qui præ cæteris ob progressum in scientiis, in  
 virtute, bonis moribus eos merentur. Hinc  
 proprii cerebelli beneplacitum, inordinatus fa-  
 vor adulatione vel quovis alio titulo conciliatus  
 hic prorsus eliminandus est. 4to. Et hi & qui-  
 cunque alii, si mendicantibus his illis vel non  
 possunt vel non volunt eleemosynam dare, ob-  
 servant, ut tranquillo ac sereno animo sine im-  
 patientiæ ac iræ motibus eam denegent. 5to.  
 Demum omne illud misericordiæ gentis erga  
 proximum aut confratrem suum maximi faciant.  
 Quo quis sive aperte sive occultè benefacit illis,  
 qui minùs imò contrarium ab ipso promeriti  
 sunt. Semper solidæ devotionis exercitium est,  
 tibi sui ipsius victoria intercurret. Hoc sæpè  
 negligitur ab illis, qui viri videntur esse devo-  
 tioni addicti, & nescio, quam de genuina devo-  
 tione ac virtute ideam sibi formant. Præstat  
 etiam esse potiùs liberalem quàm parcum erga  
 eos, quorum operâ uteris, ut sunt opifices, au-  
 rigæ, &c. quia hi adhuc tam honesti sunt, ut  
 labo-

labore manuum malint lucrari victum, quam  
in turpi otio omni amandatâ verecundiâ eum  
emendicare. Hoc sæpè mihi inculcavit quidam  
senex ex nostris prudentiâ ac virtute conspicuus.  
Idem pro ea, quâ pollebat auctoritate, sæcula-  
res Dominos impensè hortabatur. Ut, quæ-  
cunque demum misericordiæ opera proximis  
exhiberent, sedulò antecedenter purificarent  
intentionem, & in eleemosynis v. g. observa-  
rent *primò*, ne præcisè ob importunitatem men-  
dicantis vel ex quocumque alio motivo naturali  
eas dent, sed præmeditatè ex amore Dei, ne  
mercede suâ æternâ fraudentur. *2dò*. In pin-  
guioribus eleemosynis dispartiendis considerent,  
quomodo ad majorem Dei gloriam impendi pos-  
sint. Sic sæpè præstat unum pauperem juvenem  
vel puellam opificio aut studiis applicare, si qui-  
dem indoles boni quid spondeat, quam in in-  
certum multis pingues dare eleemosynas, quas  
an immoderato potui, lusui, aut luxuriæ, an vero  
honestè impensuri sint, penitus ignoratur. *3tio*.  
Ut, si quas pias meditentur foundationes, eas  
non differrent post mortem prius executioni  
dandas. Et cum nummi, quibus tempore vi-  
tæ commodè carere possunt, eos post mortem  
comitaturi non sint, contentur probare & ex-  
periri tempore vitæ, an hæc vel illa fundatio  
optatum ad Dei gloriam effectum sortitura sit.  
Ut, si videant hoc illud non ritè observari, ad-  
huc vivi eam in meliùs permutare possint. *4to*.  
Demum Pater iste consultus ratione legatorum  
aut testamentorum ad causas pias faciendorum

ingenuè dicebat, quòd genuinus non esset religiosus, qui consulentibus conaretur persuadere, ut suo monasterio, ordini hoc illud darent, & non prius epos benè informarent. Ut ad causas quascunque pias assignata ex intentione & illo ex motivo darent, quòd multos illis meritorum & æternæ gloriæ thesauros compararet. Sic v. g. potest contingere, quòd cælebs aliàs statuerit omnia sua relinquere consanguineis. Quia verò ab iis offensus est, vel se offendi aut non pro merito coli putat, subito mutet mentem, & ob aversionem erga suos det religiosis. Si aversio ista primarium impulsivum & motivum ad id fuit, quales in cælo coronas post se trahet? ergo in tali casu consultus ante omnia sit sollicitus, ne anima tam liberalis donatoris competentibus fraudetur æternis præmiis.

Jam præter opera misericordiæ corporalia solida devotio etiam requirit spiritualia. Qualia sunt catechizare rudibus, instruere in fide & moribus instructione hæc maximè indigentes, tentatis ad peccata omni ope assistere, & ab iis, quantum fieri potest, proximum præservare, inter dissidentes procurare pacem &c. Similibus, qui studet, solidè devotus est. Et in hoc velim vel maximè prælucere PP. & MM. familias. Qui non tantùm pro prolibus, sed & servis & ancillis suis pervigilare debent tanquam rationem desuper Deo reddituri. Sicut ergo his provident quoad corpus, ita vel maximè provideant quoad animam ut in catechesi, modò confitendi, communicandi, præces matutinas vespert.

vespertinas persolvendi, examen conscientiae quotidie faciendi bene instruantur, & à mala societate, periculosâ conversatione & peccandi occasionibus præserventur. Et sicut laudabile est, quòd v. g. Mater-familias congregatis in cubiculum vel sacellum domesticis ipsamet preces vespertinas, & ad examen conscientiae requisita prælegat vel præoret, ut multæ faciunt nobiles Matronæ. Ità mirandum, quòd sæpè Clerici in dignitatibus constituti de similibus misericordiae spiritualis operibus ne quidem cogitent, & ideirco sicut otiosos & bene pastos ità & impudicos servos habeant & ancillas, facti teste Apost. infidelibus deteriores, eò quòd suorum & maximè domesticorum curam non habeant. Qui illam habent, & impigè impendunt, illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt. Cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, & filii eorum propter illos usque in aeternum manent. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. Eccl. 44. Quia per ejusmodi solidæ devotionis exercitia facti sunt divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, Ibid. Sive patrem suorum cum Deo & inter se procurantes. Atque ex his & toto hoc capite allatis mi bone Lector tandem colliges, quid per solidæ devotionis exercitia velim intelligi. Quorum præcipuum ratione animæ tuæ propriæ adhuc incurandam restat.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De bona tam remotiore quàm proximiore ad mortem bene obeundam preparatione.*

**E**Quidem totus meus trifariam divisus liber nil aliud in se continet quàm genuinam die quovis ad mortem præparationem; Cum ad eam die vel horâ quâlibet bene obeundam meliùs te præparare nequeas, quàm si operâ quotidiana ritè secundum voluntatem Dei bonam, beneplacentem & perfectam obeas, de quo egi primâ parte. Dein ex omnibus, quæ menti aut sensibus se ingerunt, continuò mentem in Deum elevas, eique te unias, prout *secunda Pars* edocet. Demum ea sive per diem sive per hebdomadam aut mensè præctices, quæ in tertiâ hac parte adferuntur. Interim tamen, quia cupio, ut hoc *Vade mecum* tibi cumprimis pro te ipso dein pro aliis, quos vocationi aut statui tuo conformiter ad mortem ritè obeundam disponas, servias. Visum est selectiora quædam ex his, quæ aliàs hunc in finem in usum meum collegeram, in sequentes §. §. divisa subnectere. Aliqua religiosis, alia aliis ad mortem piè obeundam se præparantibus mutatis mutandis accommodari possunt.



§. I mus.

*Preces quotidiana Eminentissimi Cardinalis Pto-*  
*lomei pro impetranda beata morte impressa*  
*Roma 1713. cum protestationibus S.*  
*Cardinalis Borromai.*

**M**ortituum me certò scio. At quando?  
Ubi? Quomodo? Prorsus ignoro.

Terra sum, & in pulverem & terram con-  
vertetur caro mea.

Immortalis sum animo & spiritus; & ibo carne  
solutus in domum æternitatis meæ. O æternitas  
interminabilis! O mortis ultimum punctum, à  
quo pender æterna æternitas!

Tu solus vitæ meæ Dominus, & Deus es. Vi-  
vere & hodie non recuso; sed vitam nolo, si tibi  
& tuis obsequiis vitam meam omnem non im-  
pendam. Si me mori vel hodie jubes, mortem  
non recuso; moriar, ut te videam; moriar te-  
cum, ut in æternum vivam. Ah fiat in me, de me,  
circa me, & circa mea omnia, sanctissima volun-  
tas tua in tempore, & in æternitate.

Paratum est meum, Deus, paratum est cor me-  
um. Domine quid me vis facere? Domine quid  
me vis pati? Domine quid me vis fieri? Resig-  
nationibus nostris, quæsumus Domine, placare  
susceptis; & ad te nostras etiam rebelles com-  
pelle propitius voluntates.

Doleo, & toto corde doleo, quòd te offendo.  
rim Deum meum, quia bonus es, sanctus es,  
amator meus; Deus meus es.

Ab-

Absorbeat, quæso Domine, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ut amore amoris tui vivam, & amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es Deus factus homo vivere & mori.

Domine JESU Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in Cruce, maximè in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam, Amen.

Libera nos, Domine, à subitanea & improvisa morte, Secundùm magnam misericordiam tuam,

Libera nos, Domine, morientes à mala morte. Secundùm magnam misericordiam tuam,

Libera nos, Domine, morientes ab omni peccato, Secundùm magnam misericordiam tuam.

Libera nos, Domine, morientes ab insidiis diaboli. Secundùm magnam &c.

Libera nos, Domine, morientes ab omni terrore & formidine. Secundùm,

Libera nos, Domine, morientes à diffidentia & desperationis tentatione. Secundùm,

Libera nos, Domine, morientes à spiritu præsumptionis. Secundùm,

Libera nos, Domine, morientes à cordis duritie. Secundùm.

Libera nos, Domine, morientes ab ira tua. Secundùm.

Libera nos, Domine, morientes à potestate diaboli. Secundùm.

Libera

Libera nos, Domine, morientes à pœnis inferni. *Secundùm.*

Libera nos, Domine, morientes ab omni mundi, sanguinis & carnis illecebra, *Secundùm.*

†

Concede nobis, Domine, morientibus susceptionem Sacramentorum. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus abundantiam divinæ grætiæ tuæ. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus perfectam contritionem. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus firmam spem, & certissimam fidem. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus ardentem charitatem.

Concede nobis, Domine, morientibus patientiam & tolerantiam inter dolores. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus fortitudinem contra diabolicos incursus. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus perfectam cum tua voluntate conformitatem. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus desiderium ardentissimum videndi Deum. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus protectionem B. Mariæ semper Virginis, Angelorum custodiam, & Sanctorum omnium intercessionem. *Secundùm.*

Concede nobis, Domine, morientibus Sacerdotum orationes & auxilium. *Secundùm.*

†

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi per sanctam Incarnationem tuam. Parce peccatis nostris, Domine, & salva nos. *Per*

Per sanctam Nativitatem tuam. Parce peccatis,  
 Per baptismum & sanctum jejunium tuum. Parce  
 Per sanctam & laboriosam vitam tuam. Parce,  
 Per famem, sitim & vigiliam tuas. Parce.  
 Per exclamaciones & suspiria tua, Parce.  
 Per amarissimas lacrymas tuas. Parce.  
 Per maximos cordis tui pavores & dolores. Parce.  
 Per sanguineum sudorem tuum. Parce,  
 Per manuum tuarum colligationes. Parce.  
 Per opprobria, alapas & ludibria tua. Parce,  
 Per acerbissimas flagellorum plagas. Parce.  
 Per spineam coronam tuam. Parce.  
 Per sacratissimas sanguinis effusiones. Parce.  
 Per sanctam Crucem & Passionem tuam. Parce.  
 Per sel & acetum à te gustatum. Parce.  
 Per quinque vulnera tua. Parce.  
 Per sanctam agoniam tuam. Parce.  
 Per Animam tuam sanctissimam in manus Patris  
 commendatam, & pro redemptione mundi à  
 corpore separatam. Parce.  
 Per mortem & sepulturam tuam. Parce.

†  
 Pater de cælis Deus, Moriatur anima nostra  
 morte justorum.  
 Fili Redemptor mundi Deus, Moriatur.  
 Spiritus sancte Deus, Moriatur.  
 Sancta Trinitas unus Deus, Moriatur.  
 Per viscera misericordie tue, Moriatur.  
 Per merita & intercessionem Virginis & Matris  
 Mariæ, Moriatur.  
 Per intercessionem sanctorum Angelorum &  
 Archangelorum, Moriatur.  
 Per

Per merita & intercessionem sanctorum Apo-  
stolorum & Evangelistarum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum & san-  
ctarum Martyrum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum Ponti-  
ficum & Confessorum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum Docto-  
rum. Moriatur.

Per merita sanctorum Monachorum & Eremita-  
rum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctorum Sacer-  
dotum & Levitarum. Moriatur.

Per merita & intercessionem sanctarum Virgi-  
num & Viduarum. Moriatur.

Sancte Michael Archangele, Angeli nostri Cu-  
stodes, & omnes Sancti Beatorum Spirituum  
Ordines, & vos Beatissimi Patroni nostri N.  
N. N. N. defendite nos in praelio, ut non  
pereamus in tremendo iudicio.

Tuque ô MARIA, Mater & Virgo, Mater ad-  
mirabilis, Consolatrix afflictorum, & Regina  
Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut  
spiritus noster absque ulla peccati macula, &  
pœnæ reatu mereatur à sanctis Angelis susci-  
pi, & ad patriam Paradisi perducì.

Amen. Amen. Amen.

*Protestationes S. Caroli Cardinalis Borromai.*

I. **I**N nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, Fi-  
lii & Spiritûs sancti, ego infelix & miser  
peccator protestor in præsentia tua, ô Angele  
Dei,

Dei, assignate mihi à divina sua Majestate pro ductore, cum primùm natus sum, velle & desiderate me mori in eâ solâ, verâ, & Catholicâ fide, quam sancta Romana & Apostolica tenet & profitetur Ecclesia, in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam uspiam, mortui sunt; nec desidero ditius vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè & ex toto subijcio.

II. Protestor etiam, ô Angele Dei, desiderare & velle me sub tua sancta custodia ac protectione, discedere ex hac vita, cum spe divinæ misericordiæ, sine ulla titubatione in fide; non obstante quâcunque multitudine & gravitate peccatorum meorum, certò sciens ac firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis D. N. JESU Christi sufficientem futuram fuisse, non solùm me salvandi, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset divinæ suæ Majestati.

III. Similiter protestor, ô Angele sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiæ Redemptoris & Domini nostri JESU, remissionemque omnium peccatorum meorum consequi, scientem, quòd ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi & abominabili, neget ritè contrito & confesso: idque per & propter merita amarissimæ suæ passionis & mortis, & virtutem pretiosissimi Sanguinis sui, pro me indignissimo in ligno Crucis copiosè effusi; per merita demum sanctissimæ Matris suæ, Virgi-

nisque Mariæ, & omnium Sanctorum & Angelorum.

IV. Iterum protestor, sanctissime mi Custos, supplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam; etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicii diem, dummodo tandem, per ipsius infinitam misericordiam, consequar vitam æternam.

V. Sanctissime & vigilantissime Custos, protestor demùm, constituere me te Procuratorem Testamenti ultimæque voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi, à Domino meo JESU tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solùm lacrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficaciam & virtute, mitigentur lachrymales illi singultus cordisque pressuræ & angustia, quibus in hora mortis affligar. Et ut gloriosissima Mater Dei Maria dignetur me vel unico etiam aspectu ex iis, quos ipsa sub Cruce stans habuit, defigendo in unicum Filium suum virgineos oculos, suscipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis in die judicii obtinebunt salutem & vitam sempiternam. Altera gratia est, ut tu, fidelissime Custos meus, in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo; ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantissimæ illius charitatis, quæ paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum

tum pro salute peccatorum. Ultima denique gratia est, ut tu idem piissime Custos meus animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergastulo corporis egressam, dexteræ tuæ potentiâ, Redemptori meo offeras; ut eum unâ tecum, & cum Sanctis omnibus in cæli gaudiis videam, perfectè amem, eoque æternaliter fruam, cui sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

## §. 2dus.

*Peculiaris quadam ad mortem preparatio singulis annis instituenda, & dein per menses continuanda.*

**D**Um juxta leges Societatis nostræ octiduanæ S. P. N. singulis annis obis exercitia. Sacrosanctum tibi sit & inviolabile principium, iis peractis diem insequentem in bona ad mortem præparatione insumere. Et quolibet mense, vel saltem trimestri diem aliquem ab aliis negotiis magis liberum seligere; quo idem facias. Et singulari cum diligentia Orationi, Confessioni, sacræ Communioni, visitationi SS. Sacramenti te impendas, atque in spiritu ad S. Viaticum & extremam unctionem ritè percipiendam disponas. Præxim sequentem suppeditat P. Pinamonti in die decima exercitiorum.

*Primò. Oratio sive meditatio hujus diei bis peragetur scilicet manè & vesperi per horam.*

*In prima Orationis hora imaginaberis tibi, quàm*

quàm poteris vivacissimè statum illum, in quo jacebis moribundus, derelictus à Medicis, desertus à Sociis, admonitus à Confessario, &c. Et quia teste Deo judicium, quod de rebus omnibus ferre mors solet, rectum semper est juxta illud: *O mors bonum est judicium tuum.* Eccli. 41. Idcirco per tria puncta considerabis, quid in morte fecisse te velles 1. erga Deum, 2. erga te ipsum, 3. erga proximum. Huic porro meditationi diversos ac fervidos admiscebis affectus doloris, propositi, & petitionis pro impetrandis à Deo viribus ad veram emendationem.

2<sup>de</sup> *Orationis materia* erunt fortiora quædam argumenta, quæ inveniri possunt ad libenter acceptandam à Deo mortem, & erunt quinque sequentia. 1. *Necessitatis.* Hæc enim est lex, quæ relaxationem nullam admittit. Eum oportet mori, qui natus est. *Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.* Job. 30. 2. *Justitiæ.* Mori enim debet, qui peccavit, atque ita mori commeruit. Rebellibus jure merito destruitur domus, & æquatur solo. *Vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos.* 1. Reg. 26. 3. *Humilitatis.* V. g. Non mereor diutiùs vivere, quia non usus sum tempore, quod ad vivendum mihi Deus indulxit, & illud insuper impendi adversus ipsummet supremum benefactorem meum. Qui licet fuisset dignissimus, ut mortem non gustaret unquam, mori tamen in Cruce pro me voluit. *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit.* Luc. 23. 4. *Amoris.* Veniet aliquan-  
do

do tempus, quo finientur peccata mea. Discendum aliquando est è regione tam iniqua, ubi aliud videre non licet, quàm injurias Dei, Spero me perventurum illuc, ubi aliud agere non potero, quàm amare Deum. *Placebo Domino in regione vivorum. Pl. 114. 5. Conformitatis sui cum divina voluntate.* Tu mi Deus scripsisti sententiam, statuisti tempus & modum mortis meæ. Libenter illam accepto, quia tu ità vis, meque adorandæ tuæ voluntati consecro, & in spiritu me conjungo Domino meo JESU Christo æterni Patris sui voluntati se consecranti. *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Luc. 23.* In affectibus hujus 2dæ meditationis vitam nostram Deo penitus offeremus, protestabimur, quòd licet illam ultra ejus beneplacitum possemus prorogare, id tamen nunquam facturi essemus. Petemus gratiam, quâ sacrificium istud tanto amoris spiritu offerre possimus, quantum debita erga illius amabilissimam providentiam ac dispositionem observantia requirit.

2dò, Confessionem oportet singulari prorsus diligentia peragere, veluti si hæc ultima foret animam tuam in pretiosissimo JESU Christi sanguine abluendi occasio. In Sacerdote visibili invisibilem JESU Christi personam considerabis, elicitilque virtutum Theologicarum actibus & dolore de peccatis. Ut eò majorem erga noxam lethalem horrorem tibi instilles, seriò malitiam cujuscunque levis aut venialis peccati considera utpote maximi post peccatum mor-

mortale mali. Cùm per id contumelia ac injuria supremæ Majestati inferatur; quæ nec excidio totius universi, nec liberatione omnium dæmonum ac hominum ab æternis inferni pœnis resarciri potest. Non eris etiam contentus generali quodam proposito: sed descendes ad defectus singulares, disponesque media ad emendationem istam tantò certius à te obtinendam, ut propositum evadat eò fructuosius. Verbores tuas ità compones, veluti, si quamprimùm deberes Judici tuo rationem reddere. Qui fortassis jam adstat ante fores tuas, quin illud tamen videas. *Ecce! Judex ante januam assistit.* Jac. 5.

3<sup>ti</sup>o. Sacra etiam Communio in vel extra Sacrum plusquam ordinariâ curâ & præparatione obiri debet. Veluti nimirum pro sacro illam viatico reciperes. Adorabis itaque Deum illum, quem per omnem æternitatem te adoraturum speras. Gratias illi ages pro concessis tot vitæ diebus. Veniam rogabis, quòd illos tam malè impenderis. Paratum te illi offeres ad vitam finiendam, dum jussèrit. Gratiâ denique petes, quâ in hoc periculoso transitu tibi assistat, ut anima tua innixa super dilectum suum ab hoc deserto securè ad regnum transeat.

4<sup>to</sup>o. Imaginaberis tibi velut à Sacerdote ungaris; & percurrèdo singulos sensus tuos pro quolibet veniam petes injuriarum, quas per illum Deo irrogâsti, & ad resarciendos tuos in illo defectus offeres æterno Patri cruciatus illos, quos D. N. J. C. ideo pertulit. Hisce affectibus

studebis instruere cor tuum ad majorem ex isto  
 extremæ Unctionis Sacramento fructum ali-  
 quando reportandum. Si per Dei gratiam mor-  
 ribundus id te ipsâ recipias, quemadmodum  
 illud modò in spiritu recipis. Idque tantò ma-  
 gis, quia fieri potest, ut eo tempore sensus tui  
 penitus sint arefacti & emortui. Unde Jole-  
 phum imitaberis, qui annis fertilibus provide-  
 re sibi novit pro annis sterilibus.

6to. Post hæc attentè piéque recitare poteris  
 orationes illas, quibus utitur S. Ecclesia ad  
 moribundorum animas Deo commendandas.  
 Scilicet *proficiscere anima Christiana* cum subse-  
 quentibus. De floribus etiam succum exuges,  
 qui tumulo tuo aliquando inspergentur. For-  
 matas orationes si ad Deum fundere vis ante  
 Confessionem, Communionem, Extremam un-  
 ctionem. Has cum aliis invenies §. 7. in proxi-  
 miori ad mortem, dum ea intimatur, præpara-  
 tione. Interim singulis annis post exercitia octi-  
 duana, singulis mensibus, aut quolibet saltem  
 trimestri meliùs ad mortem te præparabis, ex  
 hoc etiam capite, quia per ejus vivacem memo-  
 riam, & tam crebram ad eam præparationem  
 ipsa proposita in exercitiis & quotidianis medi-  
 tationibus facta eò solidiùs ac certius executioni  
 dabuntur, & *renovabitur ut aquila juvenis sua*.  
 Ps. 102. Modò subnecto actus virtutum ante  
 Venerabile in septemplexi visitatione Chori die  
 illo eliciendos, quem ab aliis negotiis liber ele-  
 gisti ad te piè ad mortem præparandum.

*1. Visitatio SS. Sacramenti.*

*Actus Fidei.*

1. **O** Domine libentissimè credo illud omne quod per sanctam Ecclesiam tuam revelare mihi dignatus es. Neque id credo, quia id ipsum credunt alii. Sed quia tu, qui es prima & infallibilis veritas ac veracitas id mihi revelâsti. *Credo quidquid dixit Dei Filius, nil est hoc verbo veritatis verius.*

2. Si Christiani omnes ab hac fide deficerent. Ego tamen per gratiam tuam nunquam ab illa deficerem. Gratias tibi ago ex toto corde meo, quòd in hac sancta fide vivere me fecisti, & quòd in eadem nunc mori me sinis.

3. O quantum doleo, quòd in mundo non omnes tibi credant. Vitam hanc, quam mihi modò mors auferet, libentissimè darem in testimonium S. Evangelii tui, eumque in finem, ut omnes homines ad illud credendum se submitterent.

4. O Deus ego sum Ecclesie tue sancte filius, & talis jam mori volo. Protestor itaque, quòd omnes cogitationes, quæ sub ultimam horam in mentem mihi venerint, si contrarie sint illi doctrinæ, quam ipsa tenet, semper sum habiturus pro mendaciis, à mendaciorum omnium autore dæmone mihi suggestis.

5. Domine, quòd minùs intelligo, eò magis credo. Quia propterea tantò magis agnosco, omnia esse digna magnitudine tuâ. Auge nunc

& in ultimo transitu ad extremum usque spiritum lumen istud, quod jam olim per sacrum Baptisma in anima mea accendere dignatus es. *Adauge nobis fidem. Luc. 17.*

2da Visitatio SS. Sacramenti,

Actus Spei.

1. **S**CIO, quod peccata mea tam præsentia quam præterita, & detestanda ingratitude mea O Deus me penitus indignum reddant omnium miserationum tuarum maximâ, bonâ videlicet morte. Sed spero nihilominus in te, in infinita tua bonitate, in tuis toties mihi confirmatis me juvandi promissis, & in meritis Domini mei JESU Christi pro me mortui. *Ipse erit Salvator meus. Job. 13.*

2. Gravissimas tibi injurias intuli O Servator mi. Hanc tamen tibi nunquam inferam, ut jam non confidam in te. Nondum Judicis partes suscepisti, etiamnum es Advocatus meus. Quid igitur paveam? *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Joan. 2.* Nimis magno tibi pretio constiti. *Redemisti me Domine Deus veritatis. Pl. 30.*

3. Quis unquam te invocavit O Deus meus! & à te neglectus est? quis unquam in te confidit, & periit? *Quis invocavit eum, & despectit illum? Eccli. 11.* Nullus speravit in Domino, & confusus est. *Ibid.* An ergo primus sum ego, qui contemnatur? qui confundatur? postquam

te invocavi, & toties in tanto aeternum pereundi periculo? non fiet id profectò. *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Pl. 30. Beneficia præterita tot alia, & tam peculiaria N.N. pignus mihi sunt futurorum. Et gratia, quam mihi largitus es, nunc mihi pignus est gloriæ, quam mihi largieris.

4. Si sub ultimum hoc tempus infernus omni catenâ solutus in me irruat, & inimici mei multiplicentur millies, quid nocere mihi poterunt, si protegar à te? confidunt illi in suis viribus, in suis fraudibus. Ego verò in nomine tuo Domine. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Job. 17.

5. Omnia peccata mea colligo, & submergo in sanguine tuo Domine. Et protestor, quòd ad ultima usque suspiria mea hoc in te sperandi obsequium præstare tibi velim. Quia gloria hæc tua est extrinseca, si videas, quòd omnium maximè miserimus in te confidat. *Ego autem semper sperabo, & adjiciam super omnem laudem tuam.* Pl. 70.

*3tia Visitatio Sanctissimi.*

*Actus Caritatis.*

1. **O** Deus animæ meæ! quia infinitè bonus, infinitè sanctus, & infinitè dignus es amari, amo te, & æstimo te super omnia. Et ut omnes cognoscant id esse verum. Ecce obviam morti libenter eo, & executionem SS. voluntatis tuæ mille vitis præfero. *Ut cognoscat*

*mundus, quia diligo Patrem, surgite. Eamus hinc.* Joan. 14. *Eja anima mea camus, & corporis rationem non habeamus. Melior est misericordia Dei super vitas.* Pl. 62.

2. Domine, si pro mercede servirem tibi, nunquid injuriam tibi facerem? quia dona tua pluris facerem quam te. Protektor igitur, quod per infinita sæcula servire tibi vellem, etiam si nihil mihi reddere velles. Libenter nunc vivendi finem facio, ut finem te offendendi faciam. Initialem equidem dilectionem, quæ spei, quatenus desiderii actus est, non negligo, cum & supernaturalis & meritorius esse possit. Sic tamen constitutus esse volo, &, ut spero, cum tuâ gratiâ jam actu & re ipsâ sum. Quod, si nullam æterni præmii mercedem dares, idè tamen te amarem unicè, quia ut summum in te bonum mereris amari.

3. Quemadmodum ardentem te facie ad faciem in cælo videre desidero, o summum bonum meum ob nihil aliud, quam ut te æternum amare queam. Ità de reliquo cælum mihi in hac miseriarum valle est, te habere mihi amicum. Sicut infernus meus etiam in paradiso deliciarum esset, te habere mihi offensum.

4. O quam libenter ex hoc mundo discederem, si viderem omnes homines in terram prostratos, ut te Domine agnoscant & adorent. Auge obsecro regnum tuum, & dilata gloriam tuam. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi.* Pl. 65. Gaudeo, quod in terris relinquam tot animas justas, quæ te amant. Et multò magis  
gaur

gaudeo, quòd in cælo sim inventurus innumeras alias, quæ sine intermissione te æternùm amabant. Atque hoc inter dolores mortis & morbi solatiorum meorum est maximum.

5. Quoniam verò tu mi Deus præcepisti mihi, ut unâ tecum & proximum meum amem, pro tam dulci præcepto demississimas tibi gratias ago. Et sub ultimum hunc obitum meum totis viribus cordis mei amplector omnes & singulos proximos meos, illosque tibi omnes commendo, & rogo: ut iis omne bonum impertiaris. Quia sunt creaturæ tuæ, imagines tuæ, & hæreditas tua. Et quia tu ipse illos amas, & vis, ut & ego eos amem. Singulariter verò omnes illos amo, qui me offenderunt, illisque tam sincero ex corde ignosco, quàm desidero, ut & mihi tu ignoscas, atque in unione caritatis illius, quâ ipse in Cruce orâsti pro inimicis tuis, etiam ego in hoc mortis lectulo te oro, ut iis, qui me offenderunt, tantundem imò decuplo plus boni conferas, quantundem illi mihi vel intulerunt, vel desiderarunt mali.

*4ta Visitatio Sanctissimi.**Actus Contritionis.*

1. **O** Immutabile bonum! ô infinita Majestas! quantus paulò post erit pudor meus, cum ante te comparendum erit. Tum enim verò intelligam, quantam tibi injuriam intulerim in vita mea, dum te vilissimis creaturis toties postposui. Sentire nunc cuperem illum de

peccatis meis dolorem, quem sub horam illam experiat eo duntaxat sine, ut per gravissimas illas injurias compensare tibi possem, quas tibi ad hoc ultimum usque vitæ meæ tempus tot iniquitatibus meis irrogavi. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18.

2. Domine, hoc meum corpus brevi consumetur à vermibus; sed nil aliud meretur, quia toties te offendit. Ecce igitur prostratam ad pedes tuos animam meam, quæ supra omne aliud malum detestatur indulgentiam illam, quæ carni sibi unitæ non obstante summâ injuriâ tuâ toties obsecundare voluit. Aspice tamen ô Deus meus cor meum contritum, neque despicias illud.

3. Quis sum ego coram te mi Domine? ex me ipso non sum aliud, quàm nihil. Ausus sum nihilominus vitam illam, quam mihi tu dedisti, ut eam in amando te consumerem, toties impendere ad offendendum te. Detestor summo opere omnia, quæ patravi mala, quia tu illa summè detestaris. Et rogo te, ut paucula illa vitæ momenta, quæ mihi supersunt, auferas. Si in illis etiamnum te traditurus sum.

4. Ecce Domine! discedo ex hoc mundo, postquam toto propemodum vitæ meæ tempore offendere te perrexi. O si nunc possem vitam meam ordiri denuò! priùs vellem mori, quàm ità vivere, uti vixi.

5. Non me pœnitet mi Deus sive præcisè ob infernum, quem promerui, sive ob paradysum, quem peccando perdidit. Pœnitet me,  
quia

quia tibi summo bono meo toties peccando molestus esse, teque tot contumeliis afficere sum ausus. Et quia maximam tibi injuriam, quam ulla unquam creatura inferre tibi potest, irrogavi, dum obedire tibi nolui. Ignosce mihi per tuam ipsius bonitatem. Redde mihi bonum, quia malum tibi feci. Meque illuc dirige, ubi æternum te amare, & æternum te ab omnibus amatum videre merear. Amen.

*sta Visitatio Sanctissimi.*

*Actus conformitatis cum divina voluntate.*

1. **D**Eus meus eâ ratione admitto ordinationem tuam, quam de morte mea pridem constituisti. Ut, etsi illam evitare possem, id neutiquam tamen facturus essem. Volo mori, quia tu me mori vis. Subjicio me sanctissimæ voluntati tuæ, & omnia illa, quæ præ manibus habeo, negotia libenter abrumpo; quia tu illa, dum vitam meam repetis, abrumpi jam vis. *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Matth. II.*

2. Domine, hunc lectum meum, in quo jaceo, mihi pro Altari statuo; in quo amabilissimæ voluntati tuæ sacrificari me oporteat. Admitte ergo holocaustum istud. Ecce in signum amoris hanc mortem meam, quam mihi immittis, hos dolores, hos corporis angores, has animi anxietates, has agonias, & mala illa omnia reliqua, quæ mortem comitantur, amplector, & horum omnium, quæ de sanctissimis

tuis manibus mihi veniunt, nihil recuso. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26.

3. Tuus sum Domine mille titulis. Et si nullo titulo tuus essem, tuus tamen esse vellem, ut hoc obsequium reddere tibi possem. Fac igitur de me id omne, quod magis tibi placet, & quemadmodum tibi placet. Hoc ipso, quod tu summum bonum meum ita vis, contenta est hæc misera creatura tua, quæ venit ante conspectum tuum. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* 1. Reg. 3.

4. Ut videat mundus universus; quantum æstimem ô Deus sanctissimam voluntatem tuam, ita hujus manibus me permitto; ut, licet inde, quod impossibile tamen est, maxima etiam damna referre me oporteret, ab illa nihilominus totus dependere vellem. Adoro divinæ tuæ circa me providentiæ dispositiones omnes, teque rogo; ut eas in tempore & æternitate adimplere velis. *Dominus voluntas fiat.* Act. 21.

5. Quid valet unquam vita vilissimi vermiculi, qualis sum ego? certum est, quod valeat nihil. Vellem tamen ego mi Deus, ut illa foret infiniti valoris, solum ideo, ut offerre tibi possem minus aliquod, quod merito tuo responderet. Quidquid verò sit, accipe id, quod in hac terrâ carissimum mihi est, vitam nempe meam, qualiscunque illa sit. Equidem hunc mortis calicem bibere amarum videtur carni. Sed parum interest. Spiritus meus est carni contrarius, promptus calicem hunc admittit in testimonium reverentiæ supremis tuis dispositionibus

bus debitæ, eumque semper judicabit esse dulcem, quia eum illi divinæ manus tuæ porrigunt. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Joan. 18.

*6ta Visitatio Sanctissimi.*

*Varia Petitiones.*

1. **O** Pater æterne, Filius tuus D. N. J. C. factus in agonia prolixius orabat, Luc. 22. Et ego ergo morti proximus summâ cum animi demissione ad thronum tuum me sisto impensissimè rogans; ut, cum tuam in me creando & conservando potentiam impenderis, eandem impendere velis ad defendendum me, ac perducendum ad illum finem, cujus causâ me creâsti & conservâsti.

2. O verbum æternum, per amorem illum, quo carnem nostram pro me induisti, & per tantos cruciatus me redemisti. Rogo te, ut modo magis, quam unquam aliàs, sanctissimæ passionis tuæ fructus applicare mihi digneris, meque perducere ad eum terminum, paradisum scilicet, quem mihi promeruisti.

3. O Sancte Spiritus, qui in S. Baptismate aliisque Sacramentis me sanctum reddidisti; rogo te, ut nunc opus tuum perficere, meque in gratia tua sanctificante morientem ad æternam gloriam perducere digneris. Ut pro immenso hoc beneficio per totam æternitatem tibi gratias agere possim, & qui insignitus sum signaculo SS. Trinitatis, æternum quoque ante  
N 6  
ejus

eiusdem thronum prostratus canam : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

4. O sacratissima Christi humanitas, quam præsentem hîc & in SS. Eucharistia absconditam adoro, te supplex rogo per eum amorem, quo me plus, quàm tuam propriam vitam amâsti, ut in hac tam magna mea necessitate assistere mihi velis, & officium Salvatoris perfectè adimplere perducendo me ad terminum salutis meæ. *Jesus mihi Jesus, & salva me. Quærens me sedisti lassus, redemisti Crucem passus, tantus labor non sit cassus.*

5. O Mater Dei & Virgo immaculatè concepta, ego te toties tanquam Reginam Angelorum & hominum & Dei Matrem, ac universalis Ecclesiæ totius Patronam & Dominam invocavi, ego per teneram erga Mysterium immaculatæ Conceptionis tuæ devotionem te interpelavi sæpius, & adhuc interpello pro duobus, scilicet puritate animæ ac castitate corporis, & pro felici mortis hora. Talem jam Patronam te mihi exhibe, & à Filio tuo auxilia illa efficacia mihi impetra, quæ ad benè moriendum requiruntur.

6. Tu mi Angele Tutelaris, tu S. Joseph, S. Barbara, omnesque Sancti, qui à Deo in Patronos morientium electi estis, sancti denique Patroni mei omnes in Sacramento Baptismi, Confirmationis mihi dati, in ordine statu, ad quem vocatus sum, à Deo in Duces ac Præceptores mihi assignati, singulis demum mensibus per annum in Patronos mihi fortè dati, vos rogo &

& adjuro : Ut quantum ipsi vos divina bonitati, per quam eternam beatitudinem consecuti estis, obligatos esse intelligitis, tantum vos nunc totos pro salute mea impendere dignemini. Demum cum Ecclesia Matre ad Deum confugiens dico :

*Deus, qui beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui corpore mirabiliter recreare dignatus es. Concede quasumus ejus intercedentibus meritis, ut nos quoque eodem in mortis agone refecti ac roborati ad caelestem patriam perducamur. Per D. N. J. C.*

*7ima Visitatio Sacramenti.*

*Actus eliciendi tempore Extrema Unctionis.*

**D**omine Jesu, jam cubitum iturus te adoro. Et cum hunc diem totum impenderim in me ad bonam mortem præparando ; ut eam quieti concessurus eò mihi vivaciùs ante oculos ponam, non discedam hinc, nisi postquam in Spiritu Extremam Unctionem perceperim. Quæ ( sicut Baptismus mihi contulit gratiam, ut bene vivere inceperim ) *extremum vita mea* teste Trid. *tanquam fortissimo presidio munit.* Itaque percurram modò mente coram te Deo meo Eucharistico singulos sensus ( hinc illis applica formulam Ext. Unct. illos Cruce signando & dicendo : *Per istam S. Unctionem, &c.* ) pro quolibet petam veniam injuriarum, quas per illum tibi irrogavi, & ad resarciendos meos per illum commissos defectus æterno Patri tuo of-

feram cruciatus illos, quos tu in quolibet festo pro me pertulisti.

§. 3<sup>tius</sup>.

*Praxis horis singulis à Deo, B. V. & Sanctis felicem mortem exorandi.*

**P** Nadasi Praxes varias tibi suggerit, quibus quis, dum sanus est, ad mortem aliquando devotè obeundam se præparare possit. Ego ex duabus unam faciens ostendam modò, quomodo vel singulis mensibus, vel saltem per annum sæpiùs die v. g. aliquo Sabbathino, vel Deiparæ festo dies vitæ ultimus Beatissimæ Virgini Deiparæ offerendus, & à Deo, B. V. & Sanctis, quorum memoria singulis per annum mensibus ab Ecclesia recolitur, pro die isto implorandum sit auxilium ac patrocinium per singulas 24. horas diei naturalis. Et quia de nocte singulis horis id commodè fieri non potest, singulis duodecim per diem horis à Sta Matutina ad Sextam Vespertinam exclusivè duplicem adjiciam affectum vel orationem. Unam ad B. V. dein alteram ex festis cujuslibet mensis per annum incipiendo à Januario. Sic autem quælibet per diem hora pro correspondente sibi noctis hora hîc computari debet, prout horæ exceptâ Italiâ numerantur in Europa.

*Hora 6<sup>ta</sup> Matutina.*

**O**ffero tibi Maria Mater Dei hunc & ultimum diem vitæ meæ cum singulis suis horis ac  
mo-

momentis, ut me saluum felici æternitati ser-  
ves, & SS. Trinitati sistas. Ut hoc à te & per  
te impetrem, offero tibi hodie in tributam ope-  
ra mea bona & devotionem, quam pro singulis  
diei & iis correspondentibus noctis horis erga  
te exerciturus sum. Incipio à salutatione An-  
gelica devotè recitanda *Ave Maria gratiâ plena*  
*Ec.* & Antiphonâ, quâ te honorat Ecclesia  
*Alma Redemptoris Mater qua pervia cali, Ec.*  
& omnia hæc & sequentibus horis simul offero  
pro iis in purgatorio animabus, quas tu elegeris.  
Ut illæ in cælos receptæ me morientem ju-  
vent.

*Ex Festis Januarii.*

**C**ircumcise, & à tribus Magis adore JESÛ  
miserere mei nunc & in hora mortis meæ,  
Amen.

S. Paule converte, S. Joannes Chryostome  
impetrate mihi pro morte optimam præparati-  
onem.

Idem impetrate mihi, quotquot ab introitu  
in religionem (hunc illum statum) sive sorte  
hactenus dati, sive ulterius ad mortem usque  
dandi estis Patroni in mense Januario.

*NB. Hoc ultimum singulis sequentibus horis  
mutato nomine mensis adjiciendum. Quilibet po-  
terit etiam pro gustu suo sibi pro singulis mensibus  
alia seligere festa, quam qua ego ex P. Nada si hic  
adduco.*

*Hora 7tima Matutina.*

**O**ffero tibi Maria Mater Dei in tributum die & horâ hâc eique correspondente pomeridianâ horâ, si quid boni egero, pro felici morte & devotâ mente recito binas Ecclesiæ Antiphonas *Ave Regina calorum, Sc. Ave maris stella, Sc.*

*Ex Festis Februarii.*

**P**urificata Virgo Mater Dei impetra mihi pro felici morte cor mundum.

SS. Joannes, Jacobe & Paule Martyres pro fide in Japonia crucifixi, impetrate mihi pro felici morte amorem Christi crucifixi. Idem impetrate mihi hoc mensê usque huc dati & ad mortem usque dandi &c. V. supra.

*Hora 8tava Matutina.*

**O**ffero tibi Virgo Maria, &c. ( V. hîc supra hora 7tima & NB. idem in sequentibus horis recita ) & has duas Ecclesiæ Collectas hunc in finem devotè oro in tui honorem.

*Concede nos famulos tuos quasumus Domine Deus perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa semper Virginis intercessione à presenti liberari tristitiâ, & eternâ perfrui latitiâ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Deus, qui salutis aterna Beata Maria virginitate fecundâ humano generi premia prestisti. Tribue quasumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus autorem vitæ suscipere D. N. J. C. Filium tuum. Amen.*

*Ex Festis Martii.*

**S**ANCTA Maria ab Angelo salutata impetra mihi pro felici morte id, quod maximè necessarium est.

Sancti Joseph & Joachim impetrate mihi pro felici morte amorem verum erga Matrem Dei.

Idem impetrate mihi Patroni menstrui hoc mense, &c.

*Hora 9na Matutina.*

**O**ffero tibi Maria, &c. in tributum, & devotè mente recito binas Ecclesiæ Collectas.

*Deus, qui de Beata Virginis utero verbum tuum Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti. Presta supplicibus tuis, & qui verè eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Deus, qui Beatam Mariam semper Virginem Spiritus sancti habitaculum vix triennem in templo tuo presentari voluisti. Presta quesumus, ut eius intercessione in templo gloria tua presentari mereamur. Per D. N. J. C.*

*Ex Festis Aprilis.*

**S**ANCTE Marce, S. Georgi, S. Franciscæ de Paula, impetrate mihi pro felici morte caritatem.

S. Catharina Senensis impetra mihi pro felici morte cor secundum cor JESU.

Idem impetrate mihi hoc mense dati & dandi Patroni menstrui, &c.

*Hora*

*Hora decima Matutina.*

**M**aria Mater Dei offero tibi in tributum &c. devotâ mente recito sequentes binas Ecclesie Collectas.

*Defende quasumus Domine beatâ Mariâ semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam (animam) & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere elementer insidiis. Per D. N. J. C. &c.*

*Famulis tuis quasumus Domine celestis gratia munus impertire. Ut quibus B. V. partus exitus salutis exordium, Conceptionis ejus, Nativitatis & Visitationis ejus votiva solennitas pacis tribuat incrementum. Per D. N. J. C. &c.*

*Ex Festis Maji.*

**S**S. Philippe, Jacobe & Joannes Apostoli impetrate mihi pro felici morte patientiam invictam, & contra Dæmonem victoriam. Idem impetrate mihi hoc mense dati & dandi Patroni, &c.

*Hora undecima Matutina.*

**M**aria Mater Dei offero tibi in tributum die ac horâ hâc &c. devotâque mente perfolvo binas has Collectas.

*Famulorum tuorum quasumus Domine delictis ignosce. Ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eundem Dominum nostrum, &c.*

Inter-

*Solida devotionis exercitia.* 307

*Interveniat pro nobis quasumus Domine IESU  
Christe nunc & in hora mortis nostrae apud tuam  
clementiam beata Virgo Maria Mater tua. Cujus  
sacratissimam animam in hora tua passionis doloris  
gladius pertransiit. Per te IESU Christe Sal-  
vator mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vi-  
vis & regnas in saecula saeculorum. Amen.*

*Ex Festis Junii.*

**S**ancte Joannes Baptista & Beate Aloysi impe-  
trate mihi pro felici morte conscientiam eti-  
am à venialibus peccatis mundam & innocen-  
tem.

Sancte Petre & Paule Apostolorum Principes  
impetrate mihi pro felici morte fidem vivam &  
solidam, quâ tentationibus resistam. Idem im-  
petrate mihi Patroni hoc mense, &c.

*Hora 12ma Matut.*

**M**aria Mater Dei offero tibi pro felice morte  
per te impetrandâ in tributum die ac horâ  
hâc &c. & devotâ mente recito Litanias Laure-  
tanis cum Collecta *Sub tuum presidium. Gra-  
tiam tuam quasumus Domine. Et Sanctissima Ge-  
nitricis tuae Sponsi quasumus.* Item triplicem sa-  
lutationem Angelicam, quam vide hic Cap. 6,  
S. 2.

*Ex Festis Julii.*

**S**ancta Maria Elisabetham visitans, & Mag-  
nificat canens, impetra mihi pro felici mor-  
te; ut migrans ex hac vita anima mea Dominum  
magnificet, ac post mortem exultet spiritus  
meus in Deo salutari meo.

S.

S. Ignati & omnes Electi Dei è Societate JESU  
impetrate mihi pro felici morte, ut majorem  
Dei gloriam verè quæram usque ad mortem.  
Idem impetrate mihi Patroni hoc mense dati &c.

*Hora prima Pomeridiana.*

**M**aria Mater Dei pro tributo tibi pro die ac  
hora hac pendendo ad impetrandam felici-  
cem mortem tuæ me intentioni ac fervori uniens  
cano *Magnificat anima mea Dominum, & exul-  
tavit &c.*

*Obsecro te, Domina sancta Maria, Mater Dei,  
pietate plenissima, summi Regis filia, Mater glorio-  
sissima, Mater orphanorum, consolatio desolato-  
rum, vita errantium, salus omnium in te speran-  
tium, Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo  
post partum; fons misericordia, fons salutis &  
gratia, fons pietatis & latitia, fons vita & venia:  
Per illam sanctam ineffabilem latitiam, quâ exul-  
tavit spiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Ga-  
brielem Archangelum annuntiatus, & conceptus  
Filius Dei fuit: Et per illam sanctam & ineffabi-  
lem humilitatem, in qua respondiisti Archangelo  
Gabrieli: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secun-  
dum verbum tuum: Et per illud divinum myste-  
rium, quod tunc operatus est in te Spiritus san-  
ctus: Et per ineffabilem gratiam, pietatem, mi-  
sericordiam, amorem & humilitatem, per quas  
Filius tuus Dominus noster JESUS Christus de-  
scendit accipere humanam carnem in venerabilissi-  
mo utero tuo: Et per gloriosissima quindecim gau-  
dia, qua habuisti de Filio tuo Domino nostro JESU  
Chri-*

Christo : Et per illam sanctam & maximam compassionem, & acerbissimum cordis dolorem, quem habuisti, quando Filium tuum Dominum nostrum IESUM Christum ante Crucem nudatum, & in ipsa levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, sitientem, amarissimum potum fel & acetum sori ejus adponi vidisti, Eli clamantem audisti, & morientem vidisti : & per quinque Vulnera ejusdem Filii tui, & per contractionem viscerum tuorum, praenitio dolore vulnerum suorum : & per dolorem, quem habuisti, quando vidisti eum vulnerari : Et per fontem sanguinis sui, & per omnem passionem ejus & dolorem corporis tui, & per fontem lachrymarum tuarum : ut cum omnibus Sanctis & Electis Dei venias & festines in auxilium & consilium meum, in omnibus orationibus & petitionibus meis, in omnibus angustiis & necessitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego sum aliquid factururus, & locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitae meae. Et mihi famulo tuo N. impetres à dilecto Filio tuo Domino nostro IESU Christo virtutum omnium complementum, cum omni misericordia & consolatione, omni consilio & adiutorio, omni benedictione & sanctificatione, omni salvatione, pace & prosperitate, omni gaudio & alacritate : etiam abundantiam orantium bonorum spiritualium & corporaliū, & gratiam S. Spiritus, qui me bene per omnia disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, praeterita mala indulgeat, praesentia emendet,

&

Et futura moderetur : vitam honestam & castam  
 mihi tribuat : fidem, spem & charitatem mihi praestet : articulos fidei firmiter credere, & praecepta  
 legis observare me faciat : sensus corporis mei regat  
 & protegat, & à peccatis mortalibus me semper liberet  
 & defendat usque in finem meum. Hanc orationem suppliciter exaudiat, & suscipiat, & vitam  
 aeternam mihi tribuat. Audi & intercede pro me,  
 dulcissima Virgo Maria, Mater Dei & misericordia.  
 Amen.

*Ex Festis Augusti.*

**S**ancta Maria Mater Dei in caelos assumpta, fac  
 me per mortem in caelum assumi.

Beate Stanislæ impetra mihi solatium in  
 morte, quod tu per Mariam habuisti.

S. Joannes Baptista & S. Apostole Bartholomæe impetrate mihi pro felici morte veram poenitentiam, sine qua mihi non patet in caelum  
 via, & ob quod, & caput, & curis relinquenda.  
 Idem mihi impetrate Patroni hoc mense dati &  
 dandi, &c.

*Hora 2da Pomeridiana.*

**O**ntemerata, & in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Dei Genitrix  
 Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti  
 sacrarium, janua regni caelorum, per quam post  
 Deum totus vivit Orbis terrarum. Inclina, Mater  
 misericordia, aures tuae pietatis indignis supplicationibus meis : & esto mihi maximo peccatori pia  
 & propitia in omnibus auxiliatrix. O Joannes be-  
 atif-

acissime, Christi familiaris & amice, qui ab eodem Domino nostro IESU Christo virga es electus, & inter ceteros magis dilectus, atque in mysteriis caelestibus ultra omnes imbutus: Apostolus enim & Evangelista factus es praclarissimus: Te etiam invoco cum Maria Matre ejusdem Domini nostri IESU Christi Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa conferre digneris. O dua gemmae caelestes, Maria & Joannes! O duo luminaria, divinitus ante Deum lucentia! vestris radiis scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus unigenitus Dei Filius, ob sincerissima virginitatis meritum, dilectionis sua confirmavit privilegium, in Cruce pendens uni vestrum ita dicens: Mulier, ecce filius tuus! deinde ad alium: Ecce Mater tua: In hujus ergo tam sacratissimi amoris dulcedine, qua tunc ore Dominico velut mater & filius ad invicem conjuncti estis, vobis duobus ego miserrimus peccator commendo hodie corpus & animam meam: ut in omnibus horis atque momentis, interioribus & exterioribus, firmi custodes, & pii apud eum intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi, quaeso, corporis & animae salutem. Agite, quaeso, agite vestris gloriosis precibus, ut cor meum invisere, & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret & exornet: in dilectione Dei & proximi mei perfecte stare, & perseverare me faciat: & post hujus vitae cursum ad gaudia me ducat electorum suorum benignissimus Paraclitus. Qui cum Patre & Filio vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

**O** Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, & in signum misericordiae tuae, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem spem meam & consolationem meam, omnes angustias & miseras meas, vitam & finem vitae meae tibi committo: ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita omnia mea dirigantur & disponantur opera secundum tuam cuique Filii voluntatem. Amen.

*Ex Festis Septembris.*

**S**ancta Maria nascens impetra, ut per bonam mortem nascat caelo, & hunc in finem bonum habeam assistentem Patrem spiritualem, & ego ejus salutaribus monitis quoad omnia morem geram.

S. Michael Archangele, & S. Hieronyme impetrate mihi pro felici morte verum spiritum orationis.

*Hora 3tia Pomeridiana.*

**O** Maria Dei Genitrix & Virgo gratiosa, omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo affecta es, quando cognovisti Dominum nostrum JESUM Christum die tertiâ a mortuis surrexisse. Sis consolatrix animae meae, & apud eundem tuum & Dei natum unigenitum, quando cum corpore & anima resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus sum in die novissimo, intercede; ut perpetuae damnationis

*Solida devotionis exercitia.*

313

nationis sententiam per te pia Mater & Virgo  
valeam evadere, & cum Electis Dei omnibus  
ad æterna gaudia feliciter pervenire. Amen.  
Hunc in finem loco tributi pro die ac hora hac  
dandi pro impetranda felici morte felicitis judi-  
cialis sententiæ prodromâ, tibi devotâ mente  
occino cum Ecclesia ex officio tuo Hymnos hos  
duos: *O gloriosa Virginum sublimis inter sydera,*  
*Ëc.* est Hymnus ad Laudes in Off. B. M. V.

*Quem terra pontus sydera colunt, adorant, prædi-  
cant, Ëc.* est Hymnus ad Matut. in eodem Of-  
ficio.

*Ex Festis Octobris.*

**S**Anctæ Angele mi Custos impetra mihi pro fe-  
lici morte, ut inspirationibus tuis sanctè obe-  
diam.

S. Franciscæ Borgia, & S. Ursula ac Sociæ im-  
petrate mihi pro felici morte, ut ad illam quoti-  
die sim paratus. Idem impetrate mihi Patroni  
hoc mense mihi dati & dandi.

*Hora 4ta Pomeridiana.*

**M**aria Mater Dei in tributum pro felici  
morte impetrandâ hodie & hâc horâ te  
devotâ mente interpello his duabus Ecclesiæ  
Antiphonis *Regina celi letare, Ëc. Salve Regina*  
*Mater misericordia, Ëc.*

*Ex Festis Novembris.*

**O**Mnes Sancti & Sanctæ Dei, vos potissimum,  
qui in hac vita maximè excelluistis in amo-  
re Dei, impetrate cordi meo verum amorem  
O  
Dei.

Dei. Impetrate mihi, ut vos omnes ità colam in vita, ut in morte habeam Protectores.

Sancta Maria in templo præsentata, impetra mihi talem in divinis diligentiam, ut quâcunque horâ moriar, in templo filii tui increar præsentari. Idem impetrate mihi in hoc mense mihi dati & ad mortem usque dandi Patroni menstrui.

*Hora sta Pomeridiana.*

**M**aria Mater Dei, quò magis paulatim sol in occasum declinat, eò magis amaræ mortis meæ, à qua tota felix vel infelix pender æternitas, me oportet reminisci. Quòd ut eò fructuosius faciam, pro tributo hâc die & horâ tibi offero hymnum; *Stabat Mater dolorosa juxta Crucem lachrymosa, &c.* à me nunc ruminandum. Cùm sic Passionis & Mortis Domini mei, & quomodo per eam gladius doloris pertransierit animam tuam, species mihi vivaciùs imprimere possim. Hæc autem altè animo infixæ & semper durans cogitatio, & solatium, & auxilium in morte certò mihi adferet.

*Ex Festis Decembris,*

**S**ancta Maria semper immaculata, & S. Franciscæ Xaveri impetrate mihi, ut nunc & in hora mortis immaculatus inveniar, omni reatu culpæ ex peccato mortali ac veniali liber. Idem impetrate mihi sancti Patroni hoc mense mihi dati, & ad mortem usque dandi &c. Et ut mite habeam purgatorium ob reatum pœnæ adhuc residuum.

Jesu

Jesu Fili Dei vivi & Mariæ Virginis, Maria  
Jesu Mater & omnes Sancti ac Sanctæ Dei ac-  
cendite me vero amore Dei. Sitis custodes cor-  
dis mei nunc & in hora mortis meæ Amen. Et  
hunc in finem, quia certo anno, mense, die, ho-  
râ sive hodie sive cras moriturus sum, hanc  
modò descriptam devotionem statis temporibus  
per mensem, annum incipiam & continuabo  
certus, & Deo gratum & animæ meæ admo-  
dum salutare esse, mortem semper habere ante  
oculos, & per intercessionem Angelorum, San-  
ctorum, & cum primis Deiparæ Virginis eam à  
Deo felicem exorare.

§. 4<sup>us</sup>.

**T**estamenti confectio singulis mensibus aut sal-  
tem per annum sæpius ab homine Societatis ru-  
minanda. Quia, si Praxis, hac maximè secunda,  
quam casu inveni in aliquo M. S. sano familiaris  
fuerit, familiaris & facilis quoque erit moribun-  
do cum magno suo commodo ac solatio. Aliqua vi-  
detur compilator testamenti hujus hausisse ex P.  
Drutzbicki, alia de suo addidisse.

Mihi hic sermo non est de testamentis circa  
temporalia & hæreditates. Ago de religiosis  
ultimæ voluntatis expressionibus, quæ ad feli-  
cem mortem disponunt, & mutatis mutandis  
etiam sæcularibus ac Clericis aliqua ex parte ser-  
vire possunt. Quanquam à duobus, ut ex ipsis  
Praxibus patet, è Societate JESU pro se & suis  
in Christo fratribus concinnatæ sint.

**P**at. Gaspar Aicha S. J. Bohemus Brunæ 13<sup>o</sup> Julii Anno 1659. cum fama sanctitatis mortuus in manu habere inventus est piam, quam cum imagine S. Xaverii per triennium ad pectus affixam gestarat, testamenti formulam cujus contentum hoc erat. 1<sup>mo</sup>. Gratias agit linguis omnium creaturarum, quæ sunt in mente Dei pro omnibus beneficiis, quæ ipsi & creaturis omnibus concessit, concedit, & concessurus est benignissimus Deus, & in particulari pro donis, quibus Societatem JESU, cui mancipatus est, cumulavit, cumulaturus est, eosque qui in ea sunt, fuerunt & erunt.

2<sup>do</sup>. Offerit & unit corpus suum corpori Christi, animam animæ, cor cordi ad amandum Deum super omnia. 3<sup>to</sup>. Instaurat actus fidei, spei, caritatis. 4<sup>to</sup>. Committit se in manus & fidem Deiparæ, Angeli Custodis, & SS. Patronorum suorum. Atque ita munitus vult semper ad mortem paratus inveniri.

*Praxis 2da, de qua in titulo hujus S. memini.*

**A**lius è Societate hoc paulò fusiùs testamentum sibi confecerat, quod singulis mensibus renovabat, eratque trifariam divisum. *Prima Pars* dispositionem regularum cum venia superiorum residualium. *2da* bonorum corporis & animæ. *3tia* Tredecim Protestationes pias continebat.

## P R I M A P A R S.

Sint infinitæ in æternum laudes sanctissimæ & individuæ Trinitati per B. V. Angelos, Sanctos omnes, & D. N. J. C. quod mundo jam dudum mortuus circa temporalia bona nil, quod disponam, habeam, adeoque nec curæ ullæ de his animum pungant. Reculas meas has, illas, quarum usum cum bona Superiorum venia ab iis semper revocabilem habui, in eorum quoque manus consigno, vel cum eorum quoque venia & ex motivo supernaturali huic vel illi do. Ex deposito quoque, si quod habebo mortis tempore, peto humillimè in honorem s. sacrorum vulnerum Redemptoris quinque dici Sacra per Sacerdotem pro stipendio legentem Sacra, *primum* postquam Viatico & Extremâ unctione munitus fuero, vel quando Medicorum judicio mors imminere videbitur, pro felici instante morte meâ & omnibus eodem mecum momento morituris, *2dum* Pro me jam mortuo & omnibus in particulari judicio unâ mecum comparituris in hunc finem. Ut quorum animæ ad purgatorium relegabuntur, inde meâ cum anima solatium percipiant, *3tium* pro benedictione temporali & spiritali maximè à Deo impetranda Matri meæ Societati JESU, in gratiarum actionem, quod me indignum tam diu aluerit, corporique & animæ tanta beneficia contulerit. *4tum* pro temporali & æternâ incofuitate eorum omnium vivorum, quibus sive

titulo gratitudinis, sive ex promissione, sive ex vinculo aut fraternitatis in Christo aut sanguinis obstrictus sum, *stum* denique pro animabus in purgatorio mihi titulo confraternitatis in Christo vel in sanguine conjunctis, item quæ singulari devotione coluerunt Mysterium immaculatè conceptæ Virginis, & quæ aliorum suffragiis maximè destitutæ sunt. Vocationis autem meæ animarum salutem, & inde proveniente majorem Dei gloriam pro scopo habentis memor ex hoc momento ultimum, quod in vita mea dicturus sum, Sacrum simul dedico divinæ Majestati pro pueris, qui tempore mortis meæ in periculo erunt, ne ad baptismum perveniant. Dein pro Ethnicis, Hæreticis, obstinatis peccatoribus tunc existentibus, ut eorum plures vel saltem unus (utinam omnes) convertantur ad Deum. Et ita gaudium magnum causetur in cælo, & cor JESU, qui de cælo descendit, ut peccatores ad id ascenderent, inde recreetur. Illâ etiam intentione, quâ dixit JESUS Christus, quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis, peto; ut ex deposito meo, si quid præterea supererit, elemosyna detur uni vel alteri externo pauperi, & domesticis ac confratribus meis refocillatio aliqua in triclinio. Licet enim regnum Dei utique non sit esca & potus, id tamen peto unicè ex amore & æstimatione vocationis meæ. Utcunque enim eâ indignus sim & fuerim. Invoco tamen in testem Deum omniscium, semper me JESU socios super omnia habuisse in corde, & in hoc non fucatum aut  
insta-

instabile, sed solidum habuisse gaudium ac solatium. Quando honorem habui servis Dei ac commilitonibus JESU Christi etiam in cibo aut potu benefaciendi. Neque enim tam angusti cordis unquam fui, ut propter aliquos fortè discolos minueretur æstimatio erga eos, qui vñ primævi instituti per tot functiones ac ministeria saluti perfectionique propriæ & alienæ gnaviter incumbunt, & ex quatuor orbis partibus velut agro iis assignato jactum Evangelii sementem colligunt, eumque sudore Apostolico & sanguine toties irrigarunt, & usque modo irrigant. Nil hîc ad invidiam aut ostentationem ex præoccupato aliquo animo dictum velim. Quia omnes omnium ordinum religiosorum viros religiosos amavi semper & veneror. Cùm sub JESU Duce sive in albis sive cœruleis sive nigris aut alterius cujuscunque coloris vestimentis pariter militent. Unusquisque studeat fundatoris ordinis sui vestigiis insistere. Hoc unicum est objectum æstimatione dignum. Cætera ab hoc principio exorbitantia sunt vanitas, & à præiumpione, animi levitate, contentione, superbiâ, invidiâ ortum sumunt à sanctis ordinum fundatoribus, qui modò in cælo in mutuo amore summo vivunt, tanquam pestes mille diris devota. Interim vos fratres mei in Christo carissimi præcellis filiorum Dei cogitationibus obarmemini, præliemini prælia Domini, & suavissimi in domo, in qua moriar, collegæ hanc refocillationem æquo animo assumere, defectus meos, & si quem læsi, amore D. N. J.

C. condonare, in æstimatione suæ vocationis crescere, Mysterium Immaculatæ Conceptionis B. M. V. pro viribus tueri, & pro me ad æternas epulas invitante Dei misericordiam implorare velint.

*NB. Majoris apud Deum esse meriti, si ex motivis verè supernaturalibus cum suorum Superiorum veniâ suis in Christo fratribus quis conetur vivus benefacere imò & moriens. Quam si ex motivo non verè supernaturali, sed fortè avaritiâ aut prudentiâ aliquâ humana stimulante velit retinere & augere peculium suis ex post ingratis, aliter ac ipso conceperat, applicandum.*

## SECUNDA PARS.

**N**unc postquam jam pridem per vota in Societate JESU edita omnibus me terrenis, omni substantiâ temporali, honore, voluptatibus per jus naturæ divinum ac humanum licitis, libertateque propriâ exspoliavi, & de reculis cum venia Superiorum habitis cum eadem pariter venia disposui de iis, quæ quoad corpus & animam restare videntur, ad Deum unice conversus sic dispono. Jus in extrema necessitate defendendi vitam meam trado suavissimæ providentiæ Dei mei tanquam Domini vitæ & necis, cui me subdo ad omne genus mortis. Naturales corporis & animæ vires, habitus, passionis, propensiones, & si quid indignissimo mihi jure aliquo debetur, libertatem denique omnem ad quævis trado sapientiæ, eminentissimæ

mæ libertati, supremæ dignitati, inclinatissimæ  
in genus humanum propensioni cordis D. N. J.  
C. gratias, virtutes, merita, & si quid largitione  
divinâ in me est, quod ad ordinem spectat su-  
pernaturalem, depono in manus pretiosissimæ  
Dei Matris, protestorque me per hanc ipsam  
omnia accepisse. Et hæc est æterna contestatio  
mea. Fructum impetratorium trado divinæ  
misericordiæ ( præter cæteras jam factas inten-  
tiones aut faciendas ) pro existentibus in pec-  
cato mortali, & mecum supremam in agone  
luctam subituris. Fructum satisfactorium iis  
dono animabus in purgatorio, quibus ex mo-  
tivo perfectissimo eum applicare possum. De-  
nique accipe Domine, quicquid mihi largitus  
es. Amorem solùm tui cum gratia tua mihi  
da, & dives sum satis. Ità me nudum & expo-  
liatum in puro meo puto nihilo coram te statuo.

## T E R T I A P A R S.

**P**rotestor autem *primò*, quòd velim vivere  
& mori de tempore vitæ tam malè transacto,  
innumerisque peccatis meis plenè contritus. *2dò*.  
In vera uniceque salvifica fide Romano-Catho-  
lica, continuoque fidei, spei ac caritatis exer-  
citio. *3tò*. Quòd spem salutis meæ fundem in  
his tribus. In finitâ Dei misericordiâ & vulne-  
ribus Salvatoris, in gratia vocationis, in affe-  
ctu & veneratione, quam sensi erga Mysterium  
Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *4tò*. Pro-  
testor, quòd nunquam consentire velim ullis

Dæmonis in agone tentationibus. Ex tunc pro  
nunc confirmo promissionem Deo in Baptismo  
factam. Abrenuntio mundo, carni; Sathanae  
& adhæreo tibi Christe in tempore & æternitate.  
5to. Quod, si in agone signum vel materiam ab-  
solutiois dare nequeam, nunc pro tunc om-  
nino id facere desiderem, velinque Sacerdoti  
elevatione v. g. digiti, appensione crucifixi sig-  
num dare contriti cordis, ut adhuc semel me ab-  
solvat. 6to. Quod mature velim accipere via-  
ticum; & sacrâ muniri unctione. Et humili-  
mè petam; id à Superiore meo; vel in ejus ab-  
sentia; alio mihi sine dilatione cordatè dici.  
Quod si tu supreme rerum arbiter sive per mor-  
tem subitanèam sive ex alio incidente his me Sa-  
cramentis privare vis, fiat sanctissima voluntas  
tua. Sed da gratiam; ut ejus ego per peccata  
& negligentias meas non sim in causa. 7to.  
Protestor, quod, si in lecto moriar; doleam;  
quod non merear; aut non possim amore Jesu  
pro me mortui gladio, recte, igne, aliove diris-  
simo martyrio finire vitam; & adhuc magis do-  
leo, quod non satis intensum de hoc ipso dolo-  
rem sentiam, qui tantus sum peccator. 8to.  
Protestor, quod indulgentias omnes, quas lu-  
crari possum in morbo & articulo mortis, lucra-  
ri velim. 9to. Quod rogem B. V. S. Josephum,  
Angelum Custodem meum, sanctosque Patro-  
nos meos, ut in extremis me animent, defen-  
dant, ad propitium Judicem & cælum perdu-  
cant. Ubi æternas iis pro tanto beneficio re-  
pendam gratias. 10. Protestor, quod libens

acceptem divinæ voluntatis dispositionem circa vitam, corpus, animam, famam. Et sicut reus ad patibulum ductus ( si agit gratias pro sententia justè lata, seque ad mortem benè disponit ) movet adstantes ad compassionem, precesque pro eo fundendas. Ità ego cervicem Deo offerens, me longiore vitâ indignissimum contentans, agens Deo pro lata in me mortis sententia gratias, in ejus me voluntatem plenissimè resignans, adstantium omnium precibus me commendans, mea ad Deum suspiria precibus & meritis omnium viventium, precibus & meritis omnium Sanctorum, B. V. & D. N. J. C. uniens spero benignum me ac misericordem Judicem habiturum. 11. Protestor petere me per immaculatè conceptam Virginem à misericordissimo JESU, ut ultima S. Eucharistiæ sumptio à me fiat in gratia cum devotione magnâ & fiducia. Ultima cogitatio sit de passione Christi & lacris ejus vulneribus. Ultimum verbum ex corde contrito tum lucro plenariæ Indulgentiæ *Jesus, Maria, Joseph, Jesus.* Et sic, quàm diu mihi præsens sum, totâ mente fixus hæream in corde JESU. 12mò. Protestor, quòd vitam, sanguinem, mortificationes, dolores, incommoda, angustias, & quæcunque mala, quæ unquam passus sum, & ad extrema usque vitæ spiritum patiar, offeram Deo meo præter intentiones cæteras jam tum memoratas pro iis, qui mihi unquam voluerunt malè. Ut ex hoc signo etiam in agone cognoscat esse verè Filius Dei. Oblationes autem meas & contestationes

nes meas facere cupio ex purissimo ac perfectissimo Dei Trini & Unius amore *ex tota latitudine* scilicet omnibus viribus, ex motivis virtutum omnium, omni possibili fervore. *Ex tota longitudine* extendendo me ad omnia & singula momenta vitæ per totam æternitatem, & retractando omne tempus præteritum in obsequio Dei mei non impensum. *Ex tota profunditate* me humiliando juxta mensuram mei nihili, nomine omnis creaturæ Deum laudando, & volendo supplere laudem Dæmonum & damnatorum, quæ ab iis Deo meo negatur, & negligitur in æternum. Demum *ex omni sublimitate* conjungendo laudem, amorem meum amori omnium fidelium viventium in terris, omnium Angelorum & Sanctorum in cælis, conjungendo amorem meum amori & purissimæ intentioni B. M. V. cujus Filius à Salvatore in Cruce pendente proclamatus sum. Conjungendo amorem meum cum sanctissima humanitate Christi, quæ me suorum meritorum fecit hætedem. Denique conjungendo amorem meum cum tua ô Pater æternæ sapientia, quâ genuisti & semper gignis filium, cum mutuo vestro amore, ô Pater & Fili, quo spirastis & semper spiratis Spiritum sanctum. Cum tuis gemitibus inenarrabilibus, ratione quorum amplexus es mutuos inter Patrem & Filium ô sancte Spiritus. Cujus cum Patre & Filio intuitus ac fruitio finis meus ultimus est, & æterna mea, ut spero, felicitas erit. *13tio.* & ultimò protestor Deus ter optime maxime, quòd per mortem meam,  
cum

eum patientia resignationem & ex amore tui acceptatam, ultimum & perfectum tibi velim offerre & offeram Sacrificium in recognitionem supremi tui dominii, in gratiarum actionem pro omnibus iisque innumeris gratiis ac beneficiis, & maxime quod haecenus tam benigne me conservaveris, nec in statu hujus illius mortalis peccati mortem immiseris, in satisfactionem denique pro meis peccatis. Ob quæ de nunc ratihabeo decretum tuum de pœna mortis in me lata. Et quia non est pars in corpore meo, quæ ad tui offensam non concurrit. Hinc tecum volo, ut omnes puniantur, & justitiæ tuæ instar Sacrificii satisfaciant. Volo, ut hi oculi, qui toties impura aspexerunt, per quas velut fenestras mors intravit in animam meam, putrescant. Hi infidi vigilantes involvantur tenebris usque ad finem mundi. Volo, ut hæc lingua, quæ toties juravit, detraxit, mendacia, vanas, impudica, scurrilia, imprecatoria, impetiosa &c. verba protulit, à vermibus & serpentibus devoretur. Volo, ut hæc manus, quæ ad impura &c. se extenderunt, sensualitati, vanitati servierunt, ligentur in angusto sepulchri carcere frigore eneclæ usque ad finem sæculi. Volo, ut pedes hi, qui declinaverunt à via recta te derelicto, & ad creaturas cucurrere, irrevocabili ad finem mundi detineantur arresto. Volo, ut hoc cerebrum tot impuris, vanis, invidis, malignis, superbis, stolidis repletum phantasiis ac conceptibus, cum sedes sanæ rationis esse debuisset, penitus exarescat. Volo, ut hoc nequam

cor, quod te ita & toties offendit, tot idola sibi formavit, quot creaturas tibi prætulit, manducetur à viperis, laceretur à serpentibus. Volo, ut hoc templum iniquitatis omninò destruat, & fornax hæc superbiæ, concupiscentiæ carnis & oculorum, & omnis generis sensualitatis extincta maneat, usque dum veneris judicare vivos & mortuos. Tandem volo, ut caro hæc, quam ita perditè amavi, fovi, delicatè habui, & ab aliis amari, foveri, amplexibus stringi, molli-terque haberi volui, quod ad tot peccata propria & aliena, longo etiam post mortem meam tempore fors duratura, ansam præbuit & præbebit: Uno verbo volo, ut caro hæc (quæ non obstantibus tot gratiis, inspirationibus continua sedes carnalis aut nimium sensualis fuit amoris, & per hoc vel cor à te separavit, vel inter creaturas & te divisit, quod tu solus titulo creationis, redemptionis, supremique domini, totum possidere jure irrefragabili voluisti) tanquam projectissima meretrix projiciatur in fimum, omnium proteratur pedibus, putredine penitus consumatur, nec tantum sine omni honore, sed & in summo sit despectu. Hæc omnia volo, quia tu vis, & hæc ego in corpore meo millies promeritus sum. Interim misericordissime Deus post tenebras spero lucem, & gloriosam corporis hujus licet longè indignissimi aliquando resurrectionem. Quando rursus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. In-

terina

terim anima mea quid tecum fiet? ecce putrescit quidem corpus, cui unita fuisti, sed à te separatum omnis erit doloris expertus licet à vermicibus & putredine ad ossa usque consumptum. O quàm stultè egisti illud tam molliter tractando, ejusque instinctui obsecundando. Illud usque ad extremum judicii diem nil patietur, & tu horrenda, quàm diu Deus voluerit, debebis ideo subire tormenta. De hoc, dum vivis ò homo, seriò cogita, & corpus pœnitentiis afflige. Interim tu mi JESU da gratiam, ut anima mea ante separationem à corpore sit in gratia, adeoque pœnas inferni non sustineat. Pœnas purgatorii & quidem acerbissimas usque ad universalis judicii diem perferre deberet. Sed tu Deus reminiscere misericordiàrum tuarum. Hic ure, hic seca, da gratiam, ut per patientiam in adversis, verum amorem erga inimicos, & redditionem boni pro malo ex animo, cooperationem in salutem animarum tuo pretioso sanguine redemptarum, orationem continuam pro animabus in purgatorio, affectum ac devotionem singularem erga Passionem ac Mortem tuam, & benedictam Matrem tuam immaculatè conceptam Virginem, inordinati omnis affectûs suppressionem, dignam Sacrificii quotidiani incruenti ad Altare oblationem, indulgentiarum denique acquisitionem vel condonentur penitus, vel saltem decurrentur virtute sanguinis tui atroces pœnæ purgatorii.

Plenariæ Indulgentiæ, quas in articulo mortis (tu selige tibi adlubentes) mihi applicari desidero, sunt sequentes.

1<sup>mo</sup>. Indulgentiæ catecheticæ. 2<sup>do</sup>. Sodalitatis B. M. V. Annuntiæ item de bona morte vel agonia Christi. 3<sup>to</sup>. Indulgentiæ datæ cuiusvis in articulo mortis constituto per osculum vel tactum Imaginis Crucifixi, aut affixionem eamundem ad numismata rosario annexum. Quia & ego tempore vitæ Catechista fui, Sodalitatum Præses, & numismata similia Romæ à Pontifice accepi. 4<sup>to</sup>. Demum Indulgentiæ omnes, quas ego, quo moriar tempore, & quâ Romano-Catholicus, & quâ religiosus, & quâ Societatis JESU membrum lucrari possum, si plenariam unam in agone lucrater indulgentiam, liber essem à purgatorio. Sed quia nil coinquinatum intrat in regnum cælorum, & post Indulgentias etiam acquisitas navi denudè aliquid potest succedere, & ad plenarias Indulgentias lucrandas valdè pura requiritur animi dispositio, & teste Script. homines etiam iusti transire debent quasi per ignem. Salutaris semper metus ratione purgatorii proderit, ut eò magis usque ad extremum halitum purificetur anima. Angor equidem ob horrendas illas pœnas sensus, quas anima ob nimiam erga corpus Indulgentiam sustinere debet. Sed non ita atque ob pœnam damni, quam anima ob perversam voluntatem suam sibi thesaurizavit. Jam ô mi JESU ex puro erga te amore hoc peto, ut, cum nullius indigus tuam tamen gloriam externam quæras, des gratiam ita animæ meæ providendi, ut ea te citò videre & glorificare possit.

§. 5tus.

*Aspirationes quadam pia pro sanis, agris, moribundis per singulas Alphabeti litteras.*

**J**Ocare volentes laudando vel vituperando aliquem, percurrunt subinde Alphabeti litteras, & ad singulas dant Epitheta laudis vel vituperii. Morem hunc jocosum verte tu in serium, & dum sanus es, exerce te ad singulas Alphabeti litteras in suspirio aliquo ad Deum ex S. Script. emittendo, vel etiam ad eandem actum aliquem virtutis exercendo. Habes hic ex Nadasi & aliis exemplar duplex.

*Primum Alphabetum suspiriorum plerumque ex Psalmis.*

**A**diutor meus & Protector meus es tu, Deus ne tardaveris. Pl. 39. Aspice in me, & miserere mei. Pl. 118. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Pl. 50.

Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabis in atriis iuis. Pl. 64. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Pl. 83. Benedic anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates meas. Pl. 102.

Conserua me Domine, quoniam speravi in te. Pl. 15. Custodi animam meam & erue me, non erubescam quoniam speravi in te. Pl. 24. Cor mundum crea in me Deus. Pl. 50. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Pl. 9. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Marc. 9.

Di-

*Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus. Pl. 17. Deus in nomine tuo salvum me fac. Pl. 35. Defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum. Pl. 72. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo. Pl. 18.*

*Exurge Domine, salvum me fac Deus meus. Pl. 3. Eripuisti animam meam de morte & pedes meos de lapsu. Ego autem speravi in te Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae. Pl. 50. Exultabo in te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum seculi. Pl. 144.*

*Fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me. Pl. 30. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. Pl. 118. Fiat manus tua & salvet me. Ibid.*

*Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Pl. 86. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia. Pl. 118.*

*Hac recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Pl. 41. Humiliatus sum usque quaque Domine. Mirifica me secundum verbum tuum. Pl. 118. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Pl. 29. Non tantum, quia eò tardiùs veniam ad faciem Dei, sed etiam, quia eò plures habeo reddendas rationes.*

*Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Pl. 12. In umbra alarum tuarum sperabo, donec*

donec transeat iniquitas. Pl. 56. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sacula, protegar in velamento alarum tuarum.* Pl. 60.

*Letabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.* Pl. 9. *Latentur omnes, qui sperant in te. In aeternum exultabunt, & habitabis in eis.* Pl. 5. *Lauda anima mea Dominum. Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quam diu fuero.* Pl. 145.

*Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Pl. 6. *Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Pl. 36. *Miserere mei, & exaudi orationem meam. In pace in id ipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Pl. 4. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.* Pl. 16. *Misericordias Domini in aeternum cantabo.* Pl. 88.

*Notas mihi fecisti vias vite. Adimplebis me letitia cum vultu tuo. Delectationes in dextra tua usque in finem.* Pl. 15. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam.* Pl. 15. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Pl. 99. *Non intres in iudicium cum servo tuo.* Pl. 145.

*Omnia ossa mea dicent Domine quis similis tibi.* Pl. 34. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Pl. 8. *O Domine salvum me fac.* Pl. 117.

*Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Pl. 107. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Pl. 16.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui sanat omnes infirmitates tuas. Pl. 102. Quoniam tu illuminas lucernam meam (intellectum) Domine Deus meus, illumina tenebras meas. Pl. 17. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis, qui sperant in te. Pl. 30. Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Pl. 65.

Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam. Pl. 48. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam totâ die magnitudinem tuam. Pl. 70. Respice in servos tuos & in opera tua, Pl. 89. Replebimur in bonis domus tue. Pl. 64.

Servus tuus sum ego. Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Pl. 118. Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum. Pl. 16. hominum & Dæmonum. Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam. Et non confundas me ab expectatione mea. Pl. 118. Sediti in throno & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sacula saculorum. Amen. Apoc. 5.

Tuus sum ego, salvum me fac. Pl. 118. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob. Pl. 43. Tibi dixit cor meum. Exquisivit te facies mea. Faciem tuam Domine requiram. Pl. 26.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Pl. 5. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Pl. 14. Verumtamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Pl. 61.

*Solida devotionis exercitia.*

333

*Zelus domus tua comedit me. Pl. 68. Tabescere me fecit zelus meus meus, quia obliti sunt verba tua inimici. Pl. 118.*

*Secundum Alphabetum actuum virtutum tempore infirmitatis eliciendorum. Qui quò familiariores fuerint tempore sanitatis, eò facilius & fructuosius eliciuntur tempore prostrata valetudinis.*

**A** Doro, admiror, amo te super omnia Deus meus. Antefero te omnibus, Abnego voluntatem meam, acquiesco tuæ. Abhorreo ab omnibus, quæ tibi displicent. Amæ me. & amem te. Amor tuus sit amussis & autor mearum omnium actionum.

Benedico te ô bonum optimum cum omnibus benedictis Electis tuis. Benedic mihi ô benignitas, ô beneficentia, ô beatitudo immensa. Quidquid boni de te habent Bibliothecæ omnes, id totum tibi offero; & tibi illis, quos illi libri habent, modis omnibus benedico ac rogo te, ut benedicam te in sæcula.

Credo in te Deus. Consecro tibi Creator mi corpus meum in templum, cor in aram tui amoris. Cupio te amare cordibus omnium cælitum, & omnium creaturarum. Consolationem omnem, quam è creaturis capere possem, tibi offero ô Deus totius consolationis. Custodi me tanquam rem tuam.

Detestor peccata omnia, sed de meis potissimum doleo super omnia, quia diligo & desidero

fidero plus te diligere super omnia Deus meus & omnia. Dimitte mihi debita, & debilem sustenta. Doce me discipulum tuum, non delectari nisi in te dulcedo prima, pura, immortalis.

Exulto in bonis tuis. Exquiro te toto corde meo. Expugna torporem meum. Expurga sordes meas. Evacua, exue me memetipso. Nihil amoris inordinati erga me aut creaturam quamcunque maneat in me, sed totum transeat in te, & nihil amem nisi te, in te, & propter te.

Flecto genua mea coram te, & supplex adoro te. Fugiam, quidquid impedit me, quò minus ardentissimè amem te. Fove me in gremio misericordiæ tuæ.

Gaudeo de infinita granditate bonorum tuorum, quæ habes à te. Gratias tibi ago pro donis tuis, quæ habeo & habebo à te. Gratulor tibi de infinitis thesauris gratiæ & gloriæ tuæ ad intra & ad extra.

Honoro te honore supremo. Humilio me sub potenti manu tua. Habe me totum. Habita in me, & doce me habitare in te. Horas omnes & momenta vitæ ac mortis meæ, æternitatem ipsam cupio impendere in honorando te.

Immolo cor meum tibi in holocaustum doloris de omnibus peccatis meis, & amoris tui in æternum. Destruere in illo, quidquid tibi non placet, perfice quidquid placet. Indulgentias omnes, quascunque possum, hoc & singulis diebus vitæ meæ, volo acquirere, & applico

eas pro anima illa è purgatorio liberanda, quam liberati à me tibi maximè gratum est.

Kyrie eleyson Domine miserere mei. Fac me dignum misericordiâ tuâ. Fac me illâ benè uti, & misericordias tuas in æternum cantare.

Laudo te. Lætor de te. Fac me sanctum laudatorem tuum. Da mihi, ut vehementissimè desiderem omnibus omnium creaturarum cordibus, linguis, industriis amare te, laudare te ô Deus superlaudabilis & superglorioso in sæcula.

Magnificat anima mea Dominum super omnia immensæ Majestatis Deum Trinum & Unum. Magnifacio primum ac maximum mandatum tuum ô Deus. Quò mandas, ut amem te ex toto corde, animâ, viribus, mente & fortitudine meâ. Secundum verò simile huic, ut amem proximum sicut me ipsum. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Da gratiam ut obediam his mandatis tuis. Da ut millies & millies mergam quotidie cor meum in mare amoris tui.

Nolo quidquid non vis, volo quicquid vis ô Numen æternum. Doleo, quòd fuerit tempus, in quo nolui, quæ volebas, & volui, quæ volebas. Da, ut deinceps omnia damna illa compensem.

Offero tibi, quæ cogito, quæ loquor, quæ ago, quæ omitto. Opto semper obedire tibi. Opto habere omnia desideria, quæ tibi unquam placuerunt. Opto id omne, & id solum optare, quod tu vis, ut optem. Obsecro te per JESU merita, da hoc mihi Deus.

Pacifi-

Paciscor tecum supreme Domine. Ut, quotiescunque de te cogitavero, vel hoc nomen *DEUS* mente aut ore pronuntiavero, sit idem. Atque si tunc uno corde complecterer, quidquid omnes boni libri, omnia bona corda habent circa amorem tui summum & quidquid tibi placet. Peto à te, ut proposita mea sancta sint & firma. Peto veniam. Peto gratiam. Peto amorem illum, quo amari à me summo quocunque modo potes. Peto, ut placeat mihi, quidquid tibi placet, & ideo quia tibi placet, Peto, ut imiter te in amando te idque semper.

Quæram te. Quiescam in te finis meus. Da, ut inveniam te ô Pastor mi, qui quæsisisti me ovem perditam. Utinam ad dextram tuam quiescam apud te.

Revertor ad te filius prodigus. Revereor te super omnia. Renuntio omnibus, quæcunque à corde meo abesse vis. Recollige me recurrentem ad te, ut recalescat in sinu tuo cor meum, & jam omnium, quæ retro sunt, oblitus recorder tui, & tantum tui.

Suspiro ad te. Spero, spero, spero in infinita dulcedine multitudinis & magnitudinis misericordiae tuæ, utcunque me infernus terreat. Sacrifico tibi cor meum, oculos, aures, linguam, pedes, manus, corpus & animam, vitam & mortem meam. Opera omnia unâ cum omnibus, quæ facta sunt, vel fient, sacrificiis tibi sacrifico, & agnosco, adoro, testor supremam excellentiam divinæ Majestatis tuæ. Suscipe Deus meus quotidie, imò singulis horis ac momentis  
hoc

hoc Sacrificium meum, & fac, ne quodam velut sacrilegio aliquid mihi, alterive decerpam ex iis, quæ tibi sacrifico, & tibi soli.

Tremo sub pondere immensæ justitiæ tuæ SS. Trinitas, unus Dominus meus. Tremo cum Jobo te tanquam tumentes super me fluctus. Da, ut ità pendam tributum timoris & amoris tibi supremo meo Domino, ut amor tui timorem perficiat filialem.

Volo voluntatem meam tuæ dare in victimam. Volo millies amare te voluntate illâ, quæ te amant ii, qui maximè, quique optimè amant. Volo velle, volo voluntatem hanc, quam validissimè ac vehementissimè possum, sæpiùs instaurare. Volo, volo semper ampliùs & ampliùs te amare.

Crucifixe JESU hæc omnia, quæ hic cogitavi, & quidquid per omnem vitam cogitabo, dicam, faciam, tibi offero. Cruci tuæ pro trophæo appendo, sanguine tuo aspergo, & imbuo gratias agens dolori & amoris tuo. Da, ut verè doleam de me, & verè amem te, ut sim triumphus amoris tui vincentis me.

Zelo tuo accende me Deus, ut desiderem ità te amari in terra à me, & ab omnibus, sicut amaris in cælo. Et doleam, quòd ità non amem te. O quàm tepidus est zelus meus pro tua gloria amplificanda, & tui utpote infiniti boni offensâ impedienda.

## S. 6tus.

Affectus alii, & virtutum actus tempore morbi & appropinquantis mortis. Item invocatio B. V. & SS. Patronorum pro bona morte impetranda.

**B**enedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen. Apoc. 7. Te Deum laudamus pro beneficiis omnibus. Da mihi Deus meus te, redde mihi te. En amote, & si parum est, amem te validius. S. Aug. l. Medit. c. 18. Non possum metiri ut sciam, quid desit mihi amoris tui ad id, quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Ibid.

Amo te Deus meus, & ideo accepto de manu tua dolores meos, & decretum, quo statutum est à te omnibus hominibus semel mori. Vitam, dolores, agonem & mortem meam tuo amori offero in holocaustum tibi, in unione vitæ, agonis ac mortis crucifixi JESU, Mariæ ac omnium pretiosâ morte defunctorum, & eorum potissimum, qui maximè excelluerunt in amore tui.

Anima Christi, &c. Suscipe Domine universam libertatem meam, etiam vitam & animam meam. Tux voluntati trado ex integro gubernandum genus, tempus mortis meæ. Amorem tui solum cum gratia mihi dones, & ut in gratia tua vivam & moriar.

Subin

Subin Crucifixum osculans di- cum S. Xave-  
rio : O *JESU* *Christe* *Deus* *cordis* *mei* , *obsecro* *te*  
*per* *quinque* *illa* *vulnera* , *qua* *tibi* *in* *Cruce* *nostri*  
*amor* *infixit* , *famulis* *subveni* , *quos* *pretioso* *san-*  
*guine* *redemisti* .

*Te* *ego* *JESU* *Christe* *Deus* *cordis* *mei* *per* *acer-*  
*bissimos* *tua* *necis* *cruciatus* *obsecro* , *obtestorque* ,  
*ut* *intuearis* *ipse* *cicatrices* *tuas* , *quas* *aterno* *Patri*  
*assidue* *pro* *nobis* *ostentas* , *earque* *salubres* *etiam*  
*mibi* *miserrimo* *esse* *velis* . *Idem* .

Utinam è singulis momentis totius vitæ meæ  
usque ad momentum extremum possem facere  
totidem sæcula amoris tui. Da hinc , ut cælestis  
vitæ ac divinæ tyrocinium ponam in amando te,  
nec unquam desinam te amare ex nunc in æter-  
num. Ne sinas me abire ex hac vita in aliam,  
nisi benedixeris mihi , ut moriar ad majorem  
tuam gloriam , & vivam in æternum. Sit omnis  
respiratio mea , & potissimum ultima exhalatio  
ac expiratio vivum holocaustum amoris & ho-  
nori tuo , profundissimâ cum humilitate , al-  
tissimâ caritate oblatum tibi per amorem cordis  
JESU , Mariæ & omnium Electorum. Gratias  
tibi ago pro omnibus , quibus benè moriendi  
gratiam concessisti , & concedes. Per omnes  
illos te rogo , ut des mihi illas pro morte feli-  
cissimè obeundâ præparaciones , quæ in illis tibi  
maximè placuerunt. Idem peto pro illis , qui  
mecum eodem tempore erunt in agone per to-  
tum terrarum orbem , & pro iis , qui mihi ade-  
runt morienti. Accipe tunc animam meam , cum  
P 2 illam

illam videris ad migrandum optimè paratam ad  
majorem tuam gloriam.

*Ex psalterio Mariano S. Bonaventura ad B. V.  
sive ex Psalmis ad B. Virginem applicatis.*

**D**omina benedicta sit dulcedo misericordiæ  
cordis tui. Ps. 8. Ne projicias nos in tem-  
pore mortis nostræ, sed succurre animæ, cum  
deseruerit corpus suum. Ps. 19. Mitte Ange-  
lum in occursum ejus, per quem ab hostibus  
defendatur. Ostende ei serenissimum Judicem  
sæculorum, qui ob tui gratiam veniam ei lar-  
giatur. Sentiatur in pœnis refrigerium tuum, &  
concede ei locum inter Electos Dei. Ibid. In  
manus tuas Domina commendo spiritum me-  
um, totam vitam meam, & diem ultimum  
meum. Ps. 30. Vide Domina, quoniam tribu-  
lor. Expande manus tuas, succurre, ne peream.  
Ne moreris propter gratiam nominis tui, ut ef-  
ficiaris mihi in gaudium & salutem. Ps. 70. In  
manu tua salus & vita consistunt, lætitia perpe-  
tua & æternitas gloriosa. Resperge cor meum  
dulcedine tuâ. Ps. 71. Fac Domina, ut vivamus  
in gratia Spiritûs S. & perduc animas nostras ad  
sanctum finem. Ps. 86. Excita spiritum meum  
ad amandam bonitatem tuam. Excita mentem  
ad extollendam nobilitatem tuam. Ibid. Sulci-  
pe in fine animas nostras, & introduce nos in re-  
quiem æternam. Ps. 94. Gloriosum & admi-  
rabile est nomen tuum. Qui illud retinent, non  
expavescent in puncto mortis. Ps. 116. Esto  
ani.

animæ meæ scala ad regnum cælorum, & iter rectum ad paradisum Dei. Ps. 113.

Pono post Deum in te omnem spem & fiduciam meam; quia sic Deus Pater vult, qui te in filiam, quia sic Deus Filius vult, qui te in Matrem, quia sic Spiritus S. vult, qui te elegit in Sponsam, & quidem in gradu super omnes creaturas excellentissimo. Quia Deus Trinus & Unus omnem gratiam per te velut canalem in homines defluere vult, & Angelorum ac hominum cæli & terræ Reginam constituit. Omnia hæc sunt infinita decora. Gratissimum tamen tibi est, quòd ne vel uno momento unquam fueris sub potestate Daemonis. Hoc Immaculatæ Conceptionis Mysterium semper devotè colui, & colam usque ad ultimum vitæ meæ momentum. Et sicut ego de primo tam felici vitæ tuæ momento tibi animitus gratulor, ita tu in ultimo hoc vitæ meæ momento me non deferas.

O Sancte Joseph, qui præ omnibus mortalibus electus es, ut esses conjux beatissimæ Virginis, Nutritius Filii Dei, & datus es à Deo omnium morientium Patronus. Per dolores, labores, angustias, sollicitudines, quas in nato Jesulo fovendo, in Ægyptum ducendo, in quærendo JESU duodenni per triduum, & inveniendò in templo, ac postmodum enutriendo sustinuisti. Rogo & adjuro te, ne me deferas in hora mortis. Tu primus es mortalium, cui morienti adstitit JESUS & Maria, in quorum reali amplexu ex hac vita emigrasti. De hoc

singulari prorsus privilegio, de tot aliis singularibus præ cæteris gratis & meritis tibi animus gratulor. Respice quæso agonizantem Clientem tuum, cum JESU & Maria morienti adsis, & à Deo mihi impetra, ut ultimum verbum, ultima cogitatio, corde contrito sit JESUS, Maria, Joseph. Et in sanctissimis JESU ac Mariæ brachiis expirem.

*Alia Oratio ad S. Josephum.*

**O** Sancte Joseph, volo cum singulari animæ mei solatio quædam recolere, quæ ex S. Script. aut tibi applicantur, aut de te narrantur: *Vir fidelis multum laudabitur, & qui custos est Domini sui, glorificabitur.* Prov. 27. 28. Custodi me amore JESU, quem tam sollicitè custodivisti. *Fuit Dominus cum Joseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris, qui tradidit in manu illius universos vinctos.* Gen. 39. O mi Sancte Joseph, Josephus ille Ægypti & Pharaonis Regis quasi Pater typus tuus in multis fuit. Fac, ut misereatur mei Deus, & inveniam gratiam in oculis JESU Principis carceris & purgatorii & inferni. Ostende in cliente tuo, quod ille dederit in manibus tuis omnes vinctos in carcere purgatorii, & ex eo mihi liberationem citò procura. *Esuriente terrâ Ægypti clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, & quidquid ille dixerit vobis, facite.* Gen. 41. O sancte Joseph, ego in mortis angustiis constitutus  
esu-

esuriam vel maximè, & anima mea pro sui confortatione indigebit frumento Electorum pane scilicet Eucharistico. Jam, cùm constitutus à Deo sis singularis morientium Patronus, refugio confidenter ad te, & quidquid mihi dixeris, ut dignè hoc ultimum Viaticum accipiam, faciam. O Sancte mi Patrone Matth. 1. dicebat ad te Angelus: *Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam Conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Ecce licet indignus non timeo Mariam sanctissimam Conjugem tuam accipere in Matrem. Tu cum ipsa fac, ut à peccatis meis maximè in morte me salvum faciat JESUS. *Venerunt festinantes, scilicet Pastores, & invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio.* Luc. 2. Inveniam in morte hanc sacratissimam incarnatam Triadem, & propitium non jam in præsepio, sed particulari judicio JESUM meum. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens, surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Angelus Domini apparuit in somnis in Ægypto dicens, surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israel.* Matth. 2. O mi Sancte Joseph, cum singulari gustu animæ meæ lego toties expressum nomen tuum calamo S. Spiritûs exaratum. Ego ex Ægypto mundi hujus, in quo toties malè quæsi animam Pueri tibi commissi, quoties peccatis meis JESUM meum de novo Cruci affixi, nunc vado

in terram Israel, terram promissionis, patriam  
 caelestem. Nunc tu cum Pueris & Matre ejus  
 cum JESU & Maria me accipe, & eò perduc.  
 Erat Pater ejus & Mater mirantes super his, qua  
 dicebantur de illo. Dixit mater ejus ad illum:  
 Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego  
 dolentes quarebamus te. Et ait ad illos? Quid  
 est, quòd me quarebatis? nesciebatis? quia in his,  
 qua Patris mei sunt, oportet me esse. Et descen-  
 dit cum eis, & venit Nazareth, & erat subdi-  
 tus illis, & Mater ejus conservabat omnia verba  
 hac in corde suo. Luc. 2. O sancte Patrone mi  
 sine, ut omnia verba hæc ego quoque conser-  
 vem, & jugiter ruminem in corde meo. Et  
 primò quidem audio S. Bernardum Hom. 2. super  
 missus prope finem, mihi inelamantem, Quis &  
 qualis homo fuerit beatus Joseph. Conjice ex appella-  
 tione, quã licet dispensatoriã meruit honorari à  
 Deo, ut Pater Dei & dictus & creditus sit. Con-  
 jice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non  
 dubitas interpretari. Imò verò sancte mi Patro-  
 ne gratulor tibi ex corde devoto, quòd tali te  
 honore in terris Deus Pater auxerit; ut de te,  
 quod olim de Joseph in Egypto, infinities ex-  
 cellentiùs dici possit: Constituit eum Dominum  
 domus sue, & Principem omnis possessionis sue.  
 Quæ enim alia domus, quæ possessio æterni Pa-  
 tris in mundo excellentior unquam fuit, quàm  
 JESUS & MARIA? 2dò. Cùm ex templo Jeroso-  
 lomytano tecum JESUS descenderit in Nazareth,  
 tibi que fuerit subditus Rex cæli & terræ. Tu  
 quæso apud eum ad dextram Patris jam seden-

tem intercede, ut me post mortem non descendere, sed ascendere faciat in Nazareth, hoc est floridam illam, & in quadro positam civitatem caelestem. Nam sicut Filius tuus putatitius Jesus dixit, se debere esse in his, quæ Patris sui sunt. Sic ego, ut finem creationis meæ attingam, debeo esse in domo æterna æterni Patris, ut visione Dei Trini & Unius in perpetuum fruam. In hunc finem assiste morienti.

**O** Sancte Joannes Baptista (quò non surrexit major inter natos mulierum, qui fuisti Præcursor Domini) tu quoque assiste morienti. Præcurre ad particulare iudicium ituræ animæ meæ, & dic illi: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, fac ut appareat mihi agnus & non leo, Rex & Judex supremus D. N. J. C. nec in me vero pœnitentiæ Baptismo abluto inveniatur, ob quod velut genimen viperarum nequeam fugere à ventura ejus ira. Et securi justitiæ ad arborem infructuosam animam meam positâ excidatur, & in ignem mittatur. Deduc aspera in vias planas, & sis solatio plenissima vox clamanti in deserto sive in momento illo, dum anima excedens à corpore ab omnibus, quæ in mundo hæc sunt, deseretur, separabitur. Et nil pro æternitate supererit nisi opera, quæ in vita hac mortali cum corpore patravit.

**S**ANCTE Pater Ignati, audi me quoque minimum filium tuum longissimè exulantem, teque orantem verbis tui Francisci Xaverii tibi in

hæc verba scribentis : *Terogo Pater animam meâ;*  
*summèque mihi venerandè positis humi genibus;*  
*tanquam si præsentem intuerer ; suppliciter te oro ;*  
*ne Deum pro me obsecrare desistas ; ut, dum vita*  
*suppeditat ; sanctissimæ voluntatis suæ mihi det*  
*plenè agnoscendâ ; & omninò exequenda facultatem.*  
*L. 2. Ep. 8. Impetra ; ut hanc exequar ad*  
*ultimùm vitæ momentum ad majorem Dei glori-*  
*am. Indignus fui & sum filius tuus. Acci-*  
*pio tamen plenus fiduciâ in Deum meum tan-*  
*quam æternæ prædestinationis signum ; quod*  
*in sancta JESU Societate à te fundata moriar.*  
*Tu Pater sancte ad sis indigno filio morienti ; ut*  
*Indulgentias ; quarum in tuo ordine moriens*  
*particeps esse possim, lucrer. Et in illis sanctis*  
*inspirationibus emoriar ; in quibus tu inspirasti.*

**S**ancte Franciscæ Xaveri Indiarum Apostole ;  
 per tua te merita ; per milliones hominum  
 & regna à te conversa ; per illos quasi infinitos ;  
 qui præter Deum ac Deiparam salutem suam tibi  
 adscribere debent ; per omnes illos & singulos ;  
 per amorem maximum ; quem in vita semper  
 habuisti erga ordinis tui alumnos & erga Socie-  
 tatem universam ; obtestor ; ut felicem mihi  
 mortem ; assistentiam JESU & Mariæ procures  
 intercessione tuâ ; & simul cum sancto Patre nô-  
 stro mihi ad sis morienti.

Sancte Franciscæ Borgia ; sancte Franciscæ  
 Regis ; sancte Aloyfi ; sancte Stanislæ ; sancti  
 tres Japoniæ Martyres Paule ; Jacobe & Joan-  
 nes ; sancti in cælis modò regnantes Martyres &

& Confessores è Societate JESU innumeri, agnoscite in indigno commilitonem, & in JESU Christo fratrem vestrum, & intercedite apud JESUM & Mariam, ut ferventi virtutum illarum exercicio humilitatis, zeli Apostolici, castitatis, amoris erga Deum Triunum, JESUM Christum & benedictam Matrem ejus, patientiæ ac fortitudinis in doloribus, & adversis immoriar; quibus vos maximè in vita excelluistis. Pellite à me Dæmonem in extrema lucta cum furore magno me aggressurum, & ex Societate JESU militante ad triumphantem deducite.

Pari modi ad sis mihi S. Barbarà à Deo constituta morientium Patrona, ut non nisi omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè munitus ex hac vita emigrem. Te iterum hunc in finem compello S. Stanislæ, quia tu in periculoso morbo ab omnibus desertus, intercedente B. Barbara, JESU Eucharistico cibatus es. Non mereor, ut lectulum hunc mortualem meum ità floridum inveniam, ut JESUM in eo in ulnas meas accipiam & disfluavies, ut tu eum à B. V. Deipara accepisti. Sed intercede fortiter, ut gratia JESU sit & mecum maneat usque ad mortem. Et tu cum primis mi fidelis Angele Custos, qui primo vitæ meæ momento adstitisti mihi, & animæ meæ post destructam per Baptismum originalem maculam de statu sanctificantis gratiæ gratulatus es, & usque huc à tot periculis & malis corporis ac animæ toto vitæ tempore præservasti. Jam assiste animæ meæ etiam in ultimo vitæ momento, & ex carcere corporis hujus

P 6

egres-

egressam ad clementem ac benignum adduc Judicem D. N. J. C. Ignosce, iterum iterumque supplico, & per amorem illum, quo cum cæteris bonis Angelis redemptionem humani generis lætus aspexisti, te adjuro. Ut ignoscas mihi, quòd tam ingratus tibi fuerim pro tot beneficiis in infantia, in pueritia, adolescentia, virili, senili ætate præstitis, tam tepidè te coluerim, tot bonas inspirationes tuas rejecerim vel neglexerim. Fac ut, quòd Archangelus Raphael Tobiaè dixit seniori de juniore Tobia, idem tu de me possis dicere Creatori, Salvatori & Judici meo. *Ego sanum ducam à primo vitæ momento per totius vitæ decursum; & sanum in gratia tua constitutum tibi reducam ad particulare judicium.*

§. 7<sup>o</sup>rimus.

*Actus Fidei, Spei, Caritatis, doloris, &c.*

Quia hi actus potissimùm sanis ægrisque frequentandi sunt, visum est ejus generis plures adungere ex P. Nadasi intermixtis S. Script. verbis, quæ velut soliloquia ab infirmis legenda aut iis prælegenda sunt.

*Credo*, quæ revelasti SS. Trinitas unus Deus, & Ecclesia tua sanæta credenda proponit, quia infinitè verus & verax es. *Spero* quæ promissisti, quia infinitè potens, fidelis & misericors es. *Amo te*, quia dignus, quia Deus, quia summum bonum es. *Odi peccata mea omnia venialia &*  
mor-

mortalia, quia tu odisti. Detestor & abominor illa, quia ea tu infinitè detestaris, quia te summum ac infinitum bonum offendunt. *Gratular* tibi de divinitatis tuæ thesauris infinitis. Utinam Cherubinorum, Seraphinorum, Angelorum, & SS. omnium, B. V. Matris, ac denique ipsius Jesu corde & ore possem amare ac laudare te, gaudere de te, gratulari tibi, offerre me; vitam, mortem, æternitatem meam gloria tuæ; amori tuo Deus, & facere illa omnia quæ in vita & morte SS. tuorum tibi maximè placuerunt. *Gaudeo*; quòd te ipsum dignè ames, quantum mereris. *Doleo*, quòd ullum temporis momentum perdiderim; quo te non amavi; & in quo in te Deus optime, pulcherrime; amari dignissime peccavi. Utinam possem redimere, & excellentissimis excellentissimæ caritatis actibus implere omnes horas illas. O Deus, qui caritas, qui ignis consumens es, consume præterita mala mea, & da; ut intensius amem te, plusquam unquam sis offensus à me vel ab ulla creatura. Laudet te vita mea; laudet te mors mea. Amet te migrans hinc ad te anima mea ô vita mea; Dominus meus, & Deus meus. Deus propitius esto mihi peccatori.

*Credo, & spero* videre bona Domini in terra viventium, videntium; amantium te.

*Credo* Domine, adjuva incredulitatem meam. Adauge mihi fidem, quâ ita credam in te, ne peream, sed habeam vitam æternam. Quia, qui sic credit in te; non morietur in æternum. Quia, qui credunt in nomine tuo, dedisti eis

potestatem filios Dei fieri. Domine, cui sine fide impossibile est placere, da, ut ita credam in te, amem te, ut placeam tibi in lumine viventium. Domine JESU da mihi *fidem Dei*, hoc est amore plenam, ut mihi dicas: *Fides tua te salvum fecit.* Fide hac armatus nil *in corde* *hastans etiam montes transferam*, hoc est omnes tentationes & angustias mortis superabo.

Ora pro me sanctissima JESU anima, ut non deficiat fides mea, spes mea, caritas mea. Sim plenus fide & Spiritu sancto. Veni fide purificans cor meum, spe exhilarans, caritate inflammans; ut sim justus ex fide vivens, scelerque bene vestigia fidei, spei, caritatis, in omnibus sumens *securum fidei*, in quo possim omnia tela nequissimi ignea extinguere. Indutus *loricam fidei* vivam & moriar in conscientia bona, & *fide non ficta*. Cursum consummem, fidem servem, & accipiam repositam mihi coronam, quam fidelibus tuis reposuisti *Autor fidei & consummator JESU*, ut reportem *finem fidei mee*. O via mea, veritas mea, vita mea aeterna, benedic mihi morienti.

*Credo* mi Deus, quidquid vis me credere. *Spero*, quidquid vis me sperare. *Amo*, quidquid vis me amare. *Odi*, quidquid vis me odisse.

*Doleo, doleo, doleo*, quod ullo modo te maximum, dulcissimum, optimum Deum meum offenderim; & vellem dolere ex motivo summi amoris, qui unquam ullius Petri, Augustini, Magdalenz, & cujuscunque verè penitentis

Vel amanti te cor penetravit o bone, o altissime,  
o pulcherrime Deus meus.

*Doleo*, sed non pure propter infernum vel purgatorium; quæ tamen credo & timeo. *Doleo*, sed non pure propter amissam caelestem gloriam; quam tamen credo & spero. Sed vel maxime, imò & unice hoc sensu doleo propter te; quod, licet nec infernum timendum nec cælum sperandum haberem; tamen dolerem intime; quod te offenderim optime super omnia bona; pulcherrime super omnia pulchra; dignissime super omnia digna; & ideo etiam tibi unice servirem. Amo te propter te; & amare cupio in æternum. *Gratias tibi ago* Deus pro omni bono mihi dato; gratias tibi Vera & Una Trinitas; una summa Deitas, sancta & una unitas. *Approbo*, quidquid boni factum, vel fit, aut futurum est; & utinam augere bona illa possent in infinitum. *Detestor*, quidquid mali factum est, fit; aut futurum est. Et utinam potuissent ac possem omnia impedire; ac in totidem bona convertere. Fides me doceat meliorem te esse omnibus iis, quæ mihi dare potes. Spes absque præsumptione te præ illis omnibus expectet. Caritas te amet super illa omnia; etiam super cæli gaudia & felicitatem. Omnes SS. Martyres impetrate mihi fidem vivam; pro qua mortui estis; & pro qua utinam possem & ego mori amore Domini mei. Omnes SS. Confessores impetrate mihi *spem solidam*, in qua mortui estis; & in qua spero me moriturum. Omnes Sancti & Sanctæ Dei impetrate mihi caritatem perfectam

stam ; in qua vixistis , mortui estis , & vivetis  
immortaliter in æternum , ut vivam & ego vo-  
biscum.

*Credo*, quæ revelâsti. *Spero*, quæ promissisti,  
sed plus illis *Amo te*, te qui revelâsti, promissisti  
Deus fidei, Deus spei, Deus caritatis meæ. *Cap-  
tiva* Domine intellectum meum in obsequium  
fidei vivæ, exhilara cor meum lætitiâ veræ spei,  
accende voluntatem meam illâ, quæ tibi maxi-  
mè placet, erga te caritate Deus intellectûs,  
Deus cordis, Deus voluntatis meæ. Domine  
JESU, tu es Christus Filius Dei vivi, Filius Ma-  
riæ Virginis. Tu sis mihi resurrectio & vita.  
Da, ut optimo quovis modo vivam & credam in  
te, quia *omnis, qui vivit, & credit in te, non  
moriatur in æternum.* Da, ut moriar, & videam  
te. Da, ut ita credam firmiter & intense, atque  
si vidissem omnia miracula, quæ fecisti. Da, ut  
ita sperem, atque si vidissem illa omnia, quæ  
promissisti. Da, ut ita te amem, sicut te amavit  
S. Joannes, S. Paulus, S. Augustinus, S. Fran-  
ciscus, S. Dominicus, S. Benedictus, S. Bernar-  
dus, S. Norbertus, S. Bruno, S. Ignatius, &  
omnes Sancti religiosorum ordinum (quos om-  
nes æstimo & veneror) Fundatores, S. Catha-  
rina Senensis, S. Theresia, cujus cor sagittâ ig-  
neâ Cherubinus transfixit. Ut denique omnes  
ii, quos tui amore maximo, tenerrimo, dulcis-  
simo, solidissimo per omnem vitam, & maxime  
in mortis articulo accendisti. Munda & despon-  
sa tibi animam meam in fide. Dota illam spe,  
duc illam in domum tuam, & caritate perpetuâ  
dili-

dilige illam, & attrahe illam miserans per dulcissimam Virginem Matrem tuam & omnes Electos tuos. Gratulor tibi de te. Gaudeo de infinita gloria tua. Volo pati, quæ me vis pati, & gaudeo, quòd in te nullus dolor possit cadere, quòd tibi ità benè sit semper, ut malè esse nunquam possit. Utinam operibus, luminis veræ fidei semper consentaneis fuisset testatus fidem meam vivens, & utinam possem illam moriens cruentâ morte testari, per te factus dives in fide, dives in spe, dives in caritate, ô dives in omnes Deus. Da mihi, ut assequar beatum illum præcepti finem, qui est caritas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Da, ut sim justus tuus, quia justus tuus ex fide vivit, in spe vivit, in caritate vivit. Sperat justus in morte sua, sed per mortem tuam JESU Crucifixæ.

O Mater Dei per pretiosissimam mortem tuam, & illos actus amoris Dei, quos tunc eliciisti, per omnem misericordiam, quâ ulli unquam succurristi, memento mei in vita & morte, gere curam mei finis, ut tuâ defensione munus ingrediar beatam æternitatem. Experiat te Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In te post Jesum est gratia omnis viæ & veritatis; in te omnis spes vitæ & virtutis. Spiritus filii tui, & tuus super mel dulcis & hæreditas illius super mel & favum. Per te accepi gratias conservativas, præservativas vocationis, &c. Per te reddo gratias, ut per te accipiam gratiam finalis perseverantiæ. In

manus & per manus tuas commendo & offero spiritum meum Deo meo, ut illum videam, videam, videam, amem, amem, amem in æternum. Amen.

Sit spes mea in Jesum filium tuum salvantem me, qui timet illum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus, timentis illum beata est anima ejus. O Jesu rogo te per Te met & Mariam, O Jesu & Maria rogo vos per SS. Trinitatem. O SS. Trinitas rogo te per amorem, quo Jesum, quo Mariam, quo te amas, miserere mei, ut felix moriar ad majorem tuam gloriam, & tui amorem in æternum continuandum.

§. 8<sup>avus</sup>.

*Proximus ad mortem, dum ea intimatur, preparatio.*

**D**Um Superior, vel Medicus, aut alius de periculo mortis te admonet, detecto capite dic Deo gratias, & dicto *Te Deum laudamus* in gratiarum actionem de tot acceptis beneficiis & Psalmo *Miserere* pro tot commissis peccatis, protumpe in affectus, quos tunc tibi suggeret divina bonitas v. g. similes.

Ergo advenit tempus illud, in quo omnia vana esse præter amare Deum, & illi soli servire vel maximè apparet. Quàm gaudeo, quòd nuncii istius de morte bajulus me non inveniat in malo statu habituali, aut æstuante fumo alius  
eujus

cujus ambitionis, vindictæ, libidinis, alterius-  
ve concupiscentiæ, adeoque nec intellectum  
obtenebratum, nec voluntatem induratam ha-  
beam, ut mundi contingit aſſeclis. Quàm  
gaudeo, quòd cura familiæ, liberorum, opum  
me non diſtrahat aut diſcerpat. Valete omnia  
temporalia, & quidquid Deus non eſt, aut ad  
Deum non collimat. Exiguum quod reſtat tem-  
pùs cum Deo ſolo tranſigendum eſt. Ut non in-  
veniar, dum brevi in ſtatera ponentur opera mea,  
minùs habens, aut mala præponderent bonis.  
Equidem ſi peccata mea mihi condonata non  
ſunt, præponderabunt utique, ſed cor contri-  
tum & humiliatum Deus non deſpicias, nec à  
throno gratiæ tuæ repelles hominem, qui dum  
mortis periculum ei intimatur, ex animo toto  
dicit: *Fiat voluntas tua ſicut in celo & in terra.*  
Et illa exactè in ſimplicitate cordis ſui vult ad-  
implere, quæ ſponſa, quæ exivit de latere tuo  
in Cruce tranſfixo, & pretioſo tuo ſanguine ti-  
bi deſponſata eſt, ſancta ſcilicet Mater mea Ec-  
cleſia Romano-Catholica præcipit, & ſunt ſe-  
quentia.

*Confefſio ante mortem.*

**O** Mi JESU ex illo Joan. 13. *Sciens JESUS*  
*quia venit hora ejus,* diſco horam tuam pe-  
culiariter à te appellatam eſſe horam mortis tuæ.  
Hæc ergo & mea peculiariter eſt, quia ab ea to-  
ta mea pendet felix aut infelix, quòd abſit, æter-  
nitas. Admoncor illam appropinquare, ut  
ergo

ergo ostendam me Romano-Catholicum mori,  
& juxta Ecclesie præceptum ultimis velle ad in-  
stantem luctam Sacramentis muniri. Primò  
*recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine  
anime meae. Il. 38. Nam ore Confessio fit ad salu-  
tem. ad Rom. 10.*

Si à multis annis tempore otidianorum ex-  
ercitiorum feceris Confessionem generalem, to-  
ties repetita de tota vita tua etiam facile tibi in-  
cident pro ultima Confessione generali institu-  
enda. Et cum in vera contritione maxima vis  
sit polita, ad eam magis magisque excitandam  
& corroborandam servire poterunt tam ea, quæ  
in 1. p. hujus *Vade mecum* attuli de examine  
pomerid. & vespertino, quàm quæ in hac p. 3.  
c. 2. de Confess. & sparsim attuli in præceden-  
tibus §. §. hujus Cap. ultimi. Ad cor contritum  
magis conterendum servient etiam sequentes af-  
fectus, in quibus pedetentim crescit oratio.

Quàm serò te amavi ô pulchritudo tam nova  
tam antiqua, Quis dabit capiti meo aquam &  
oculis meis fontem lacrymarum.

Ergo ideo natus sum, tot beneficiis divinis  
præ aliis cumulatus, ut te ô bonum infinitum  
itâ offenderem? ideo ne ô Pater æternæ irâ me  
amâsti, ut filium tuum unigenitum pro me da-  
res? ut te contemnerem. Ideone ô fili æter-  
næ sanguinem sacrosanctum tuum omni, quod  
in cælo & globo teraqueo continetur, pretio-  
sorem ex venis omnibus & arteriis ad ultimam  
usque guttam profudisti? & corpus & sangui-  
nem tuum in potum ac cibum mihi dedisti? ut  
hunc

hunc ego pedibus proculcarem, te mortaliter offendendo? ideone ô æterne sancte Spiritus me in Baptismo & aliàs toties in usu Sacramento- rum gratiã tuã sanctificante decorãsti, ad veram fidem, Sacerdotium, statum religiosum Societa- tem JESU vocãsti? tot inspirationes sanctas dedisti, toties pro me gemitibus inenarrabili- bus postulãsti veniam? ut gratiam ego tuam pro re nihili, pro re turpi, ego inquam non gentilis, non rudis, sed itã per te illuminatus, instructus venderem? O ingratitude malitiamque plus quã diabolicam. Quia Diabolus pœni- tendi spatium non habuit, quod per te toties habui tot abusus gratiis.

O oculi mei verè scopuli, ô manus, ô pedes, ô munde, ô respectus humanus aut per- versum consortium, ô caro, ô Diabole? quò miseram animam meam attraxistis? ô anima quid fecisti? Deum tuum, quantum in te est, toties de novo crucifixisti. Cùm ostenderet illo latus apertum, & brachia ad amplexandum extensa, tu eum irrisistis, & hoc toties, hoc tam diu, hoc illo vel illo tempore?

Quid Diabolus, hæc, illa creatura, ipsum peccatum a deo in se scõdum, tam acerbum post se relinquens aculeum, tantis te bonis & qui- dem infiniti pretii spolians, decoris in aut se ama- bilitatis habuit? ut ideo infinitam pulchritudi- nem, sapientissimum, potentissimum, justissi- mum, misericordissimum Deum, summum bo- num, unicum finem ac beatitudinem tuam abji- ceres, protruderet, proculcares?

Et

Et quidem in ejus immensi entis præsentia, ultro hostem ejus infensissimum Dæmonem ac peccatum in cor tuum apertis portis omnibus cum gaudio & servorum Dei irrisione admitteres, & in eo tam pertinaciter tam diu cum summo divinæ Majestatis ubique præsentis opprobrio foveres ac corroborares?

Et quod stupendum est, Deum ipsum, sine cujus concursu simultaneo nec cogitationem, nec verbum, nec gressum formare poteris, cogeres; ut contra se ipsum, contra suum honorem tecum concurrente ageret, & ideo in amarissimam hanc querelam prorumpere cogeretur: *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Tu Catholice Sacerdos religiose potentiis corporis & animæ, innumerisque gratiis ita abuse.

O anima mea necdum audis vocem Dei tui interrogantis: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? hic breviter ruminata peccata in seculo commissa, & in religione peccata commissionis, omissis, propria, aliena, maxime si aliis malum dedisti exemplum. Si rationes habeas reddendas non tantum pro te, sed & animabus tibi concreditis, & siue conniventia siue exemplo malo in causa es regulas, ac constitutiones ordinis tui hic & nunc non mansisse in primævo flore suo illibatas.*

Ah ubi inveniam pro movenda debite anima mea peccatrice Vincentium aliquem Ferrerium? qui in urbe Gomorra duos Sodomitas ad rogum damnatos concione suâ de fœditate & infinitâ peccati malitiâ sic commovit, ut ii non  
tan-

tantum præ vehementia doloris & genuinæ contritionis subito expirârint, verùm etiam facies eorum carbonis instar accensa & exusta appa-  
ruerit. Ah mi JESU, da imbrem lachrymarum, mori etiam præ dolore ob Deum infinitum ac summum in te bonum toties offensum, da cor moveri è loco suo & rumpi. Prosterne me coram sancta Cruce tua. Ampliùs. Peto pacem, conjicio me in expansas manus tuas, & teneo firmiter pedes tuos, nec dimittam, nisi benedixeris mihi. Ampliùs. Levo me ad sacrum caput tuum, & peto osculum pacis, ex ore sacrosancto tuo in os vile meum, & interiora animæ meæ contritus tua sancta ultima verba ingero: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Consummatum est.* Ampliùs. In spiritu desiliens intro ad sacrum vulnus lateris in cor tuum, & dico: *Deus propitius esto mihi peccatori. Pater peccavi in calum & coram te.* Imò nihil dico ampliùs, sed manens in corde tuo benedicto firmiter usque ad ultimum halitum, & sic tutus ab insidiis Diaboli, qui ad me venit *in ira magna, sciens, quia modicum tempus est,* fleo, suspiro cum Magdalena, cum Petro, cum omnibus SS. pœnitentibus, & meum contriti cordis fletum ac dolorem unio cum tua siti in Cruce & desiderio infinito lucrandi peccatores. Unio cum oceano tristitiæ angustiaque tuæ in horto, dum præ angustis cordis tui guttæ sanguinis decurrerunt in terram. Et in Cruce, dum dixisti: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hunc me oceanum tam profundè

immitto, ut insidiator animæ meæ me reperire non possit. Et confidens in infinita misericordia tua peto absolutionem cum firmissimo proposito te nunquam offendendi in æternum, idè purè, quia in infinitum bonus, licet nec cælum sperandum haberem nec infernum timendum.

Pro pænitentia libenter acceptarem mille mortes amore tui sufferendas. Fac, ut per absolutionem Sacramentalem anima mea perfecta fiat imago sanctissimæ Trinitatis; ut tu eam in primo hominè ad statum supernaturalem elevato in gratia sanctificante, in innocèntia donisque plurimis supernaturalibus constituto creâsti. Memoriam purificet Deus Pater, intellectum illustret Deus Filius, voluntatem Deus Spiritus accendat inextinguibili igne amoris sacri nunc & in æternum. Amen.

*Communio ante mortem.*

*Ante Communionem.*

**R**umina illud Ecclesiæ: Accipe Frater Viaticum Corporis D. N. J. C. qui te custodiat ab hoste maligno, & perducatur in vitam æternam. Et cogita id verè Viaticum esse sive itineris tam ignoti ac periculosi subsidium. Præmissis actibus fidei, spei, caritatis, v. g. §. 7. allatis servare quoque possunt affectus sequentes.

Accipio te mi Domine in tale Viaticum seu subsidium, & in memoriale passionis ac mortis tuæ. Item ut satisfaciam tuo & Ecclesiæ sanctæ tuæ mandato.

Ager

Æger sum, tu Medicus sana me. Nudus sum, tu dives vesti me. Morior præ fame in hac solitudine, tu cibus es, satia me. Sitim patior in his angustiis, tu potus cæli es, refocilla me. Mendicus sto ante fores tuas, da mihi thesauros gratiæ tuæ. Ut miser peccator sto ante Judicem, miserere secundum magnam misericordiam tuam. Ut infans sto ante Patrem, da mihi fruitionem hæreditatis tuæ.

O cæleste Viaticum, tu es verum Manna omne delectamentum in se continens, & veros Israelitas per hujus mundi desertum in via tam diu confortans, donec in terram promissionis introducantur. Obsecro, pascere, recrea me, & in terram illam lacte & melle manantem deduc me, ubi mors nulla dominatur. Dixisti enim Joan. 6. *Patres vestri manducaverunt Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

O cæleste Viaticum, tu es panis cor hominis confortans longè meliùs quàm panis ille subcineritius, qui in solitudine ità roboravit Eliam, ut in fortitudine ejus ambulaverit usque ad montem Dei Horeb. 3. Reg. 19. Panis divine me debilem quæso conforta, ut absque defatigatione ambulem usque ad montem cælestis gloriæ.

O cæleste Viaticum, tu es omni melle dulcius, & ad illuminandum nos potentius, quàm mel illud Jonathæ, de quo 1. Reg. 14. legitur: *Summitatem virga intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus.* O Mel divinum, ô JESU salus & lux

lux mea, obsecro te, mentis meæ caliginem diffi-  
pa, & oculos meos illumina, ne unquam obdor-  
miam in morte æterna. Sed uti oculos corpo-  
ris clausero, animæ aperiã oculos, & æter-  
nũm videre merear te Deum in Sion.

O cæleste Viaticum, millies fortius & poten-  
tius ad hostes prosternendos, quã panis ille  
subcinericius, qui visus est evertere castra Ma-  
dianitarum, & tabernaculum Regis solo equare,  
Jud. 7. Corroborã me obsecro, ut hoc epulo  
sacro velut gladio Gedeonis armatus Lucife-  
rum hostesque tartareos regni cælestis aditum  
mihi præcludere volentes percutiam, & in fugam  
convertam.

O cæleste Viaticum, præfiguratum in farina,  
quam Elifæus immisit ollæ [ cum clamarent pu-  
eri *Mors in olla* ] quæ omnem amaritiam vene-  
natæ herbæ sustulit. Mors non in olla, sed cor-  
pore meo grassatur, fugientem per membra  
singula usque ad cor ipsum persequitur animam,  
& vinculum ejus cum corpore vult dirumpere.  
Non fit hoc sine amaritie. Tu amaritiam verte  
in dulcedinem mi JESU; qui sub specie pugilli  
farinæ in corpus meum immitti dignaris. Ut  
plenè resignatus, & per te refectus ac confor-  
tatus dicam cum summo animæ meæ solatio:  
*Nunc dimittis Servum tuum Domine secundum  
verbum tuum in pace.*

O cæleste Viaticum, arbor vitæ plantata in  
medio paradisi hoc est Ecclesiæ, te ego accipio  
tanquam pignus æternæ vitæ. Veni JESU, præ-  
paravi me ad te dignè hâc horâ suscipiendum  
qua-

quantum potui. Confido in infinita misericordia tua, quod sis mihi arbor vitæ, & fructu ex ea gustato non sim moriturus in æternum.

Demum mi JESU adhuc unum. Tu velut peregrinus post mortem duobus Discipulis euntibus in Emaus te adjungens explicando Script. & Prophetias procurasti, ut cor eorum arderet, & illi inclinata jam die ad Cœnam invitantes te agnoscerent in fractione panis, sive sumptione corporis ac sanguinis tui. Ecce mi Domine, inclinata est jam dies vitæ meæ, advesperascit, & tenebræ mortis ingruunt. Ardet jam cor meum erga te ob parabolas, quas ex Script. de S. Viatico te Deo meo Eucharistico ruminavi. Jam quantum possum, suaviter cogo te, ut apud me maneat. Ut cognoscam te, ut oportet in fractione panis, & oculi mentis meæ ita te cognoscendo, amando ante mortem meam aperiantur, ut sine panis involucri postmodum in cælis te videant facie ad faciem.

*Post Communionem.*

**E**Licitis actibus fidei, spei, caritatis, contritionis, humilitatis, gratiarum actionis, &c. aliisque affectibus rogentur adstantes, ut simul orent, vel tibi prælegant Psalmum 22. in quo David in sensu allegorico loquitur in persona Ecclesiæ, & cujusque fidelis Christum Pastorem suum agnoscentis, eique gratias agentis ob varia dona, & præcipuè Sacramentum Eucharistiæ. Describitque *primò vitam purgativam* hominis sub typo ovis à v. 1. quæ collocatur in

fertili loco, ubi arcent optima pascua famem, aqua salubris sitim extinguit, & simul bona ovis à deviis & periculis præservatur de die reducendo errantem ad caulas, de nocte ducendo per semitas æquitatis; ità ut Pastor semper comitem se illi præbeat in tenebris, lupos ferasque insidiantes repellat, virgâ vagantem corrigit, & baculo infirmam sustentet. 2dò. Describit *viam illuminativam* sub typo amici & hospitis v. 6. cui cibi in quiete & unguenta ad luctam suppeditantur. 3tiò. Denique à v. 7. vitam unitivam sub titulo calicis inebriantis. A quo inebriatur homo sui terrenorumque omnium oblitus, fidens in divinæ misericordiæ comitatu & præsidio, amoreque ac desiderio æternorum bonorum languens.

*Psalmum hunc subijcio cum Paraphrasi de versu ad versum.*

V. 1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, & in loca pascua ibi me collocavit.

*Paraphrasis.*

**D**ominus in suam tutelam me recepit tanquam oviculam suam Pastor. Non potest sub umbra adeo potentis & benigni deesse aliquid. In felicem me Ecclesiæ suæ, ordinis religiosi NB. tot Sodalitatum piarum campum immisit doctrinæ sacræ suavitate ac varietate & gratiæ multiplicis ubertate pinguem.

V. 2. *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

*Paraphrasis.*

**A**D Baptismatis pœnitentiæ latices deduxit, Scripturam SS. divinæ suæ sapientiæ ac gratiæ rivis declaravit, ab omni via prava avertit, fecitque, ut anima conversa ad Deum fontem vivum spretâ aquâ turbidâ Ægypti anhelaret.

V. 3. *Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum.*

*Paraphrasis.*

**P**Ascuis uberrimis saginatum, & undis salutaribus potum per virtutum semitas modò ex hac, modò ex illa herbas ac flores virtutum decerpentem deduxit. Ut ex tanta erga immerentem beneficentia ejus gloria nomenque glorificetur.

V. 4. *Nam etsi ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

*Paraphrasis.*

**T**anta erga me immerentem perspecta mihi probata beneficentia adeo timorem omnem ex animo meo depulit, ut in densissimis tenebris, dum languent, obscurantur oculi, in medio ululantium, mortemque intentantium luporum constitutus maneam intrepidus de tua unius mi JESU præsentia securus. Qui intactum, ne ab iis devorer, servare potes.

V. 9. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

*Paraphrasis.*

**L**icet iusticiam & bonitatem tuam simul consideranti trepidatio & angustia se insinuent. Evanescent tamen umbræ timoris ejusmodi, quæ plenam minuunt in te mi JESU confidentiam. Imò cælesti me consolatione perfundis, dum pastoralis cura tua ac potestas, quin & Crux sancta tanquam baculus, quò Dæmon abigitur, menti occurrit, & hæc cogitatio, quòd omnis mihi immissa adversitas, hæc ipsa mors, virga sit, quâ punis in hac vita, ut in ætèrnum serves, animum subit.

V. 6. *Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

*Paraphrasis.*

**Q**ui me oviculæ instar in opima S. Ecclesiæ tuæ pascua ducere, & in via purgativa juvare dignatus es, jam grandiore factum velut gratissimus hospes lautâ mensâ tanquam amicum excipis, & in hac fatali hora tot hostibus impetum corpore & sanguine tuo reficis frustra frementibus iis, qui sibi oculos esse in animam meam aditus intelligunt.

V. 7. *Impinguâsti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est.*

*Paraphrasis.*

**H**oc in cælesti mensa menti meæ selectissimas Spiritûs S. gratias affudisti, quibus velut inua-

inunctus sentio in intellectu meo majori perfuso luce magnam facilitatem, in voluntate alacritatem, ut me tibi perfecte uniam. Sanguine tuo pretioso ebria, anima mea te unum sirit, rerum cæterarum ne meminit quidem, & nil scit, nec cupit nisi te.

V. 8. *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vite mea. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

*Paraphrasis.*

**N**EC potentiam tuam tantum securus, & liberalitate in sacro hoc convivio exhibitam hilaris, sed semper & ubique misericordiam tuam fretus, quæ lateri meo comes & dux fida adhæret, pericula omnia omnibus vitæ diebus & restantibus adhuc vitæ meæ minutis salvus evadam. Hanc tuam me fulciantem misericordiam felicem obibo mortem, quæ janua ad cælum erit. Ubi nullis temporum circulis definitam quiete perfruar. Hoc spero mi JESU, & sic inter te sacrum Eucharistiæ epulum instituentem, & me ultimò eodem refectum parallelum erit. Tu id instituisti, in qua nocte tradebaris. Ego id sumpsi, dum tradar Ministris justitiæ tuæ duccendus ad tribunal. Tu id instituisti, dum venit hora, ut transires ad Patrem. Ego id sumpsi, antequam ad te, ut spero Patrem, non irreconciliabilem per totam æternitatem Judicem transirem.

Potest etiam prælegi pro piis affectibus elicendis Psalmus trigésimus nonus, præcipuè ab

illis verbis : *Tu autem Domine nē longē facias misericordias tuas à me , usque ad finem . Item Psalmus quadragesimus primus .*

*Extrema Unctio .*

**I***nfirmatur quis in vobis ( græcus textus est , periculosè quis decumbit ) inducat Presbyteros Ecclesia , & orent super eum ( hic indicatur forma ) ungentes eum oleo in nomine Domini ( hic indicatur materia ) & oratio fidei salvabit infirmum , & alleviabit eum Dominus , & si in peccatis sit , remittentur ei . Ep. Jac. v. 14. & 15 .* His verbis indicantur tres effectus hujus Sacramenti . *Primò .* Salvatur infirmus quoad corpus teste Trid. Si id ei ad salutem suam æternam expedit . In tantum etiam quoad animam salus infirmo obvenit per hoc Sacramentum , quod ex opere operato conferat gratiam & auxilia ad resistendum Dæmoni , & felicem transitum è vita temporali ad æternitatem procuret . *2dò .* Alleviatur infirmus per hoc Sacramentum , quia accipit solatium , levamentum , si non in doloribus corporis , certè in angustiis animi . Cum conferat vires & gratiam ad plenam in divinam voluntatem resignationem . *3tio .* Vi hujus Sacramenti imprimis remittuntur venialia , & pœnæ etiam temporales ( quot , Deus novit ( ob peccata mortalia jam remissa adhuc restantes . Dein si quis peccati adhuc mortalis reus confiteri non possit ( in quo casu debet , dum suscipitur hoc Sacramentum , præmitti saltem attritio ) vel ex ignorantia inculpabili fecit Confessionem  
inva-

invalidam. Tunc si attritio saltem præcesserit, vi Sacramenti Extremæ Unctionis etiam remittuntur peccata mortalia.

Ante S. Unctionem post Litanias de omnibus Sanctis vel breviores, quæ in fine Breviarii habentur, dicitur Oratio sequens à Sacerdote.

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. extinguatur in te omnis virtus Diaboli per impositionem manuum nostrarum, & per invocationem SS. Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum atque omnium simul Sanctorum. Amen.*

Dum jam Sacerdos ad te intingendum se accingit, invoca corde Patronos morientium in vita à te hunc in finem electos B. V. S. Josephum, SS. Joannem Bapt. Apostolos Petrum & Paulum, S. Barbaram, Sanctos ordinis tui, Angelum tuum Custodem, Sanctos, quorum nomina tibi, parentibus, fratribus ac sororibus tuis in Baptismo fuere imposita, eo etiam fine, ut bona pro iis intentio proficere sive vivis sive defunctis. Dein elice tam perfectam ac potes attritionem præmissis actibus fidei, spei, caritatis. Orationem autem hanc *In nomine Patris, & Filii &c.* & verba formulæ ad quamlibet unktionem, si potes, in agone simul exprime cum Sacerdote, eaque, dum sanus es, in vita tua sæpius relegere & rumina. Et sic, dum actu inungeris, tibi que præsens es, affectus cuilibet unktioni accommodati tibi erunt eò faciliores majorisque meriti, quos hic subijcio.

## Unctio Oculorum.

**D**Um Sacerdos dicit : *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.*

Suspira dicens **O** JESU in tenebris versatur anima mea, caligant, franguntur oculi, per quos cheu sapè peccavi. Doleo, per carissimorum sanctorum oculorum tuorum lachrymas etiam sanguineas te obtestor, ut abluas omnes peccatorum meorum per visum causatorum maculas, & pœnas adhuc restantes. Ut te & SS. Trinitatem statim anima mea à discessu suo à corpore mereatur videre, quod ardentissimè desiderat.

## Unctio Aurium.

**D**Um Sacerdos dicit : *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquisti. Amen.*

Suspirans dic : **O** mi JESU, deliqui per aures libenter audiendo, quæ non debebam, & verbo, ac inspirationibus tuis eas occludendo. Per dulcem auditûs tui pietatem rogo te, dele has maculas & pœnas ideo debitas, ut non instante judicio non timeam ab audicione mala, sed in pronuntiatione sententiæ veni Benedicte auditui meo detur gaudium & lætitia.

## Unctio Narium.

**D**Um dicit Sacerdos : *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indul-*

*Dulgeat tibi Dominus, quidquid per odorem deliquisti. Amen.*

Suspirans dic: O mi JESU, Mephytim in Calvaria monte terribilem percepisti ex foetore coram Deo omnium peccatorum totius mundi & meorum. Et tamen dicebas *Sitio* plurimum scilicet semper ac plurimum peccatorum animas. Per istum ego amorem tuum te adjuro. Da talem de peccatis meis contritionem, ut tibi holocaustum sit perfectum, & gratus ex iis sacro contritionis igne extinctis penitusque in favillas redactis odor ascendat in caelos coram Patre tuo.

*Unctio Labiorum.*

**D**Um Sacerdos dicit: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum & locutionem deliquisti. Amen.*

Suspira dicens: O JESU, multum deliqui per gustum & linguam meam licet toties in Eucharistico epulo sacro tuo cruore purpuratam. Per miram verborum tuorum è labiis tuis dulcissimis prodeuntium, & à sacratissima lingua tua formatorum omnipotentiam, per hanc ipsam sacratissimam linguam tuam ita siti adustam, felle & aceto potatam, rogo te, munda polluta labia mea & linguam, ut felle draconum & veneno aspidum insanabili non potetur in inferno, sed in tuae linguae mellifluae & pacis osculo, quod super mel omne suave est, lætus transeam ex hoc mundo.

## Unctio Manuum.

**D**Um Sacerdos dicit : *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti. Amen.*

Suspirans dic : O mi JESU, per tactum ego opus manuum tuarum scilicet animam meam & aliorum per has impias manus meas toties destruxi. Igitur humillimè & ex toto corde contrito te deprecor per manuum tuarum diram crucifixionem & extensionem, absterge omnes impurarum manuum mearum ac carnis offensas, dele Chyrographum horum & omnium peccatorum meorum, & affige illud Cruci, ut absque impedimento ullo in momento separationis à corpore anima mea in dulces tuos amplexus ruat utpote Sponsi, Regis, Domini, Patris, Fratris, & omnibus titulis mei.

## Unctio Pedum.

**D**Um Sacerdos denique dicit : *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum deliquisti. Amen.*

Suspira & dic : O mi JESU, quàm doleo, quòd toties deflexerim à via recta. Per dolorosam pedum tuorum fatigationem, dum per tres annos regiones percurans benefaciebas omnibus, dum Crucem portabas ad montem Calvariae, & ab uno ad locum alium dirè raptabaris ac trudebaris, per dirissimam SS. pedum tuorum

transfixionem, per omnia merita tua, & in  
unione omnium horum meritorum tuorum te  
togo. Dele iniquos pedum meorum gressus.  
Adde alas pedibus meis, ut non tam eam, quam  
volem ad te centrum, finem, præmium meum  
sempiternum. Amen.

*Tempus intermedium inter sacram Unctionem &  
appropinquantem mortem. Dum dicitur profi-  
ciscere &c. datur ardens in manum cereus.*

Insumentum est variis piis affectibus. Præter  
allatos hic à §. 4. ad §. 7. inclusivè, etiam  
serviunt sequentes.

*Affectus resignationis, & Oblatio mortis.*

**B**enedictus Deus in æternum. Misere mei  
Deus secundum magnam misericordiam  
tuam, etsi indignissimus hinc omnibus miserati-  
onibus tuis. Dominus meus & Deus meus ego  
me tibi offero in omne beneplacitum tuum. Fiat  
voluntas tua non mea. Mors etiam amarissima  
& ignominiosissima gratior mihi erit, si tu ita  
vis, quam commodissima mille annorum vita.  
Unio mortem meam cum morte tua, volunta-  
tem meam cum sanctissima voluntate tua. *Pater  
non potest hic calix transire, nisi bibam illum. Fiat  
voluntas tua. Domine tecum paratus sum in car-  
cerem & in mortem ire. Sicut placuit in celo, sic  
fiat. Dominus est, quod bonum est in oculis suis,  
faciat. 1. Reg. 3. Nunc Domine secundum vo-  
luntatem fac mecum, & præcipe in pace recipi spi-  
ritum meum. Tob. 3.*

## Affectus Fiducia.

**B**enedic anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates meas. Pl. 102. Redemisti me Domine Deus veritatis. Pl. 30. In manus tuas commendo spiritum meum. Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos. Pl. 79. Miserere mei, quoniam infirmus sum. Pl. 6. Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Pl. 85. Uique Domine ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi. Custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me. Domine **IESU** suscipe spiritum meum. Dic anima mea salus tua ego sum. Pl. 54. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, pravalui adversus eum. Pl. 12. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Domine fortitudo mea & robur meum & refugium meum in die tribulationis. Jer. 16.

## Affectus desiderii ad calum.

**C**redo videre bona Domini in terra viventium. Pl. 28. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Pl. 26. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Aeternae, misericors ac iuste Deus. Hic ure, hic seca, modò in aeternum parcas. Noli etiam prolongare purgatorium, licet mille titulis promerear, & maximè poenam damni, ut  
eò

ed citius videam faciem tuam. O sanguis Jesu  
restingue flammam, quæ debentur mihi. *Quam  
dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum.  
Concupiscit & despicit anima mea in atria Domini.  
Pl. 83. Cupio dissolvi & esse cum Christo. Sicut  
cervus ad fontes aquarum, ita sitivit anima mea  
ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum vivum.  
Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.  
Pl. 41. Quid mihi est in celo, & à te quid volui  
super terram. Fecisti nos Domine, & irrequie-  
tum est cor nostrum, donec requiescat in te. Do-  
mine dilexi decorem domus tua, & locum habita-  
tionis gloria tua. Pl. 55. Introibo in domum tuam  
adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor  
nomini tuo. Clamavi ad te Domine, dixi tu es  
spes mea, portio mea in terra viventium. Pl. 141.  
Dominus pars hereditatis mea & calicis mei. Tu  
es, qui restitues hereditatem meam mihi. Pl. 15.  
Quot sunt dies servi tui. Quando facies de perse-  
quentibus me iudicium? Pl. 116. Fleu mihi,  
quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum  
habitantibus Cedar. Multum incola fuit anima  
mea. Pl. 119. Cedar significat nigredinem, &  
vult Propheta dicere, se cum nigris, effertis, tu-  
culentis hominibus habitasse, qui sunt sicut ce-  
dareni Arabes. Hoc tu intellige de hominibus,  
qui te unquam ad peccatum seduxerunt vel Dæ-  
monibus, qui tempore vitæ tuæ tibi continuo  
insidiati sunt.*

*Affectus ut condonentur peccata.*

**J**uste millies damnasses me mi Deus, si voluis-  
tes, noluisti autem, quia amas homines, &  
dissi-

dissimulas peccata hominum propter peniten-  
 tiam. S. Aug. Dum veneris iudicare, noli me  
 condemnare. Recordare IESU pie, quod sum  
 causa tua via, querens me sedisti lassus, tantus  
 labor non sit cassus. Iuste Iudex ultionis, donum  
 fac remissionis. Surgam & ibo ad Patrem, & di-  
 cam: Pater peccavi in calum & coram te. Luc.  
 15. Propitius esto mihi peccatori. Si iniquitates  
 observaveris, quis sustinebit? Miserere mei Deus  
 secundum magnam misericordiam tuam. Ne pro-  
 jicias me a facie tua. & Spiritum sanctum tuum  
 ne auferas a me. Reminiscere miserationum tua-  
 rum & misericordiarum tuarum, qua a seculo  
 sunt. Respice in me, & miserere mei. Delicta  
 iuventutis mea, & ignorantias meas ne memine-  
 ris Domine. Ab oculis meis munda me, & ab  
 alienis parce servo tuo. Propter nomen tuum Do-  
 mine propitiaberis peccato meo, multum est enim.  
 Domine non secundum peccata nostra retribuas no-  
 bis. Tibi soli peccavi, & contritus confiteor. Ne  
 elongaveris a me Deus meus, in auxilium meum  
 respice. Non intres in iudicium cum servo tuo  
 Domine. Pl. 143. In te Domine speravi, non con-  
 fundar in aeternum. Quoniam tu es patientia  
 mea, Domine spes mea a iuventute mea. Ad te  
 levavi animam meam Deus, in te confido, non  
 erubescam. Et si ambulavero in medio umbrae  
 mortis (peccata mea ad vivum mihi ob oculos  
 ponat Diabolus) non timebo mala, quoniam tu  
 mecum es. Misericordia tua subsequetur me om-  
 nibus diebus vitae meae. Pl. 22. Possederunt nos  
 Do-

*Domini absque te [ peccata, mundus, caro, dæ-  
mon ] tantum in te recordemur nominis tui.*

*Affectus contritionis, amoris.*

**T**U Domine es, qui es idem semper. Ego  
verò variis humanis infirmitatibus circum-  
datus, morbis, tædiis affectus, mox tepidus,  
mox aliquomodo in servitio tuo fervidus, mox  
patiens, mox impatiens sum. Mox consolatio-  
nem, mox ariditatem in recurſu ad te sentio,  
mox mihi præſens, mox variis cogitationibus  
distractus sum, estque inconstans, & de uno in  
aliud ambulatoria voluntas mea. Adeoque non  
sum idem hodie qui cras, imò nec post horam,  
quadrantem, qui sum modò. Ut de te unice  
cogitem & excogitem actus debitæ contritionis  
& amoris. Offero ergo tibi modò ex corde &  
animo devoto, per manus benedictæ Matris  
tuæ omnes harum & aliarum virtutum actus,  
qui unquam à Sanctis tuis, dum ægri aut mori-  
bundi fuerunt, perfectissimo modo elicitum sunt.  
Quòd si jam postmodum infirmitas animæ aut  
corporis dolores, tædia, angustia, cogitationes  
ex variis objectis somnolentia, debilitas ab ex-  
ercitio virtutum istarum me impediunt. Co-  
gita obsecro, quòd vas fictile sim. Interim do-  
ce me Praxin talem, quæ pretiosa fiat mors mea  
in oculis tuis.

Dignare me amplecti in profunditate, altitu-  
dine, longitudine cordis tui ò nunquam brevis,  
nunquam arcta misericordia.

Utinam in uno corde cordibus infinitis, per

momenta singula sæculis infinitis, in uno actu bono infinitis bonis actibus possem amare te Deus meus.

Tu in lectulo crucis, ego in cruce lectuli mei patior & morior. Unio dolores meos tuis, agnem & mortem meam tuam, situm ipsum meum, quo maneam prostratus, extensioni sacri corporis tui in Cruce.

O si omnia te Deus quàm optimè amantium, & omnium quàm sanctissimè ex hac vita migrantium corda in uno cumulo collecta haberem. O si verbum aliquod scirem, quò omnia omnium illorum ardentissima suspiria & actus amoris ac contritionis præstantissimos complecti & exprimerem possem. Vellem illius verbi pronuntiationi, illis actibus, illis cordibus immori Deus meus.

Juvate me omnes animæ electæ, corrogate singulæ stipis aliquid & eleemosynæ pro mea pauperula anima in tempore mortis meæ. Afferte obsecro vestros elicitos unquam amoris ac contritionis actus pro me Deo meo. Et facite, ut, quàm flagrantissimè ac frequentissimè id fieri potest, in mortis articulo illum amoris actum eliciam, qui præ omnibus maximè placet Deo in unione amoris D.N. J. Christi erga æternum Patrem.

*Suspiria ad Deum Creatorem.*

**D**eus Patrum meorum, & Domine misericordiarum, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientiâ tuâ constituisti hominem, ut dominaretur

creatura, qua a te facta est. Noli me reprobare à pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, & filius ancilla tua. Homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum. Sap. 9. à v. 1. ad 5. Noli me reprobare, tuus sum ego, salvum me fac. Pl. 118. Hoc uno tantum indigeo. Gen. 33. Diligis enim omnia, qua sunt, & nihil odisti eorum, qua fecisti. Nec enim odians aliquid constituisti aut fecisti. Sap. 11. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, & maxime amas homines pretioso filii tui sanguine redemptos.

Oratio Sacerdotis moribundi ad Christum.

**A**UDI JESU Sacerdos Magne, Zach. 3. Princeps Pastorum 1. Petr. 5. Sacerdos in aeternum. Pl. 119. Cujus factus sum Minister secundum donum gratiae Dei, qua data est mihi secundum operationem virtutis eius. ad Ephes. 3. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Hebr. 7. Domine miserere mei. Pl. 85. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Pl. 40. Peccavi tradens sanguinem justum. Matth. 27. Rem corporis & sanguinis Domini. 2. Cor. 11. Si te Cruci de novo affixi per quodcumque peccatum mortale. Jam non sum dignus vocari filius tuus, multo minus Sacerdos Dei altissimi. Fac me sicut unum de mercenariis tuis. Luc. 15. Imò indignissimus omnium sto ante te. Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris sanguinem vitam meam. Pl. 25. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Pl. 85. Tibi consecratus Presbyter. Judica me Deus, & discerne causam meam de gen-

te non sancta. Ab homine iniquo & doloso erue me  
 Quia tu es Deus fortitudo mea. Quare me repulsi-  
 sti? & quare tristis incedo? dum affligit me ini-  
 micus meus. Diabolus tentans animæque infi-  
 dianus. Emitte lucem tuam & veritatem tuam.  
 Ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem san-  
 ctum tuum, & in tabernaculo tua. Et in roibo ad  
 Altare Dei, ad Deum, qui latificat iuventutem  
 meam. Confitebor tibi in cythara extenso dolori-  
 ribusque obruto corpore meo Deus, Deus meus.  
 Quare tristis es anima mea, & conturbas me (sic  
 Christus in agonia sua prolixius orabat) Spero  
 in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare  
 vultus mei & Deus meus. Domine, quando respi-  
 cies? Pl. 34. Restitue animam meam. Confitebor  
 tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te,  
 narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ec-  
 clesie laudabo te. Pl. 31. Docebo iniquos vias tuas,  
 (id adhuc in morte ardentissimè desidero) &  
 impii ad te converentur. Pl. 50. Quàm diu qui-  
 dem ego sum, ministerium tuum honorificabo  
 ad Rom. 11. Libentissimè impendam, & super-  
 impendar pro animabus. Fidelis sermo & omni ac-  
 ceptione dignus. Quòd Christus Iesus venit in hunc  
 mundum peccatores salvos facere, quorum primus  
 ego sum. 1. Tim. 1.

Oratio ad JESUM Christum Crucifixum  
 in statu tentationis.

**D**omine memor esto verbi tui seruo tuo, in quo  
 mihi spem dedisti. Pl. 118. Circumdede-  
 rana

vunt me dolores mortis, & pericula inferni ir-  
nerunt me. Pl. 114. Quomodo, si fugiat vir a fa-  
cie leonis, & occurrat ei ursus, & ingrediatur do-  
mum, & innitatur manu suâ super parietem, &  
mordeat eum coluber. Amos 5. Itâ me unus assul-  
tus Dæmonis super alterum infestat. O Domine,  
libera animam meam. Pl. 11. Ecce Draco mag-  
nus. Apoc. 12. Domine invadit me. Tob. 6.  
Immundus spiritus, & assumit septem alios  
spiritus nequiores se. Luc. 11. Tu autem Do-  
mine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad  
defensionem meam respice. Pl. 21. Eripe me de  
inimicis meis Domine ad te confugi. Pl. 142. Cla-  
mabo per diem & nocte. O Domine libera animam  
meam. Pl. 21. Domine vim patior, responde pro  
me. Il. 38. Velociter exaudi me. Pl. 142. Defe-  
cit spiritus meus. Pl. 118. Defecerunt oculi mei  
in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis  
me. Pl. 82. Deus in adiutorium meum intende,  
Domine ad adjuvandum me festina, confundan-  
tur & revereantur, qui querunt animam meam,  
Pl. 69. Sana me Domine, & sanabor. Pl. 14. Re-  
spice in me, & miserere mei. Pl. 14. Sana ani-  
mam meam, quia peccavi tibi. Pl. 40. Domine,  
qui dixisti, sicut Moyses exaltavit serpentem in  
deserto, itâ exaltari oportet Filium hominis, ut  
omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeas  
vitam eternam. Ecce ego percussus à stygio ser-  
pente ad te in hoc deserto, in ultimis angustiis  
meis defixos teneo oculos meos in te JESU cru-  
cifixæ, & in Cruce exaltate.

*Contra tentationes ex tristitia, horrore, timore.*

**S**I tristitia me invadit ex corporis infirmitate, dicam: Calix est, quem dedit mihi Pater, an non bibam illum? si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, exiguum & mihi hunc in finem perferendum est. Si invadit mortis horror, cogitabo mortem esse inevitabilem, nec tantum faciendam esse ex necessitate virtutem, sed & ex tentatione ista proventum perfectam in divinam voluntatem resignatione. Si timor futurorum exagitat juxta illud. *Non timeo mortem, timeo, quae fata sequuntur.* Omnes inde provenientes angustias submergam in mare rubrum passionis & sanguinis Christi.

*In tentationibus contra fidem, spem, & ob peccata praeterita.*

**T**ESTE Bellarmino maximae in moribundo vel morti proximo tentationes sunt contra virtutes theologicas. Si ergo tentabor in materia fidei. Arripiens generale scutum fidei sine ulla ad Dæmonis suggestiones reflexione, vel directâ responsione simpliciter dicam: Volo vivere & mori in fide Romano-Catholica. Credo quidquid dixit Deus, & vera ejus Ecclesia tanquam Dei verbum proponit credendum.

Si spem & fiduciam conatur Dæmon subvertere aut imminuere. Dicam peccata mea super numerum arenæ maris, sed major Dei misericordia, quia infinita. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus luculentissimis ostenderunt argumentis,

mentis, quòd non sit voluntas eorum mors in-  
pii, sed potiùs ut convertatur & vivat. A pa-  
mea deesse non volo. SS. Augustine, Theophy-  
le, Cypriane, Latro in Cruce, Maria Magdale-  
na, Maria Ægyptiaca, omnesque Sancti & San-  
ctæ, qui antecederent fuisstis peccatores & pec-  
catrices magnæ, nunc verò in cælis regnatis,  
succurrite mihi, intercedite, & spem ac fidu-  
ciam meam in Deum non obstantibus peccatis  
meis augete. *Peccavi peccatum grande. Turba-  
tur conscientia, sed non perturbatur, quoniam  
vulnerum Domini recordabor.* S. Bern. Serm. 6.  
in Cantic. *Domine Deus meus in te speravi, sal-  
vum me fac.* Pl. 70. Quid adstas cruenta bestia?  
fat in me funesti prò dolor tempore vitæ repe-  
risti. Sed per JESU Christi gratiam peccata  
mea, si fuerint ut coccinura, quasi nix dealba-  
buntur. An putas Deum in his angustiis obli-  
tum esse? qui animam meam his plenissimi  
amoris verbis alloquitur: *Si Mulier potest obli-  
visci infantis sui, ego tamen non obliviscar tui. In  
manibus meis descripsi te.* Imò verò mi JESU,  
in manibus tuis in Cruce expansis descripsisti  
me, & moriens in testamento tuo me scripsisti  
hæredem cælestis gloriæ. Crux tua mensa erat,  
in qua testamentum confectum, charta caro tua,  
calamus clavi, quibus confixus es, attramentum  
pretiosissimus sanguis tuus. O mi JESU, hoc  
credo, & ideo in te spero, & te ex toto corde  
amo, & amabo in æternum,

Quid fremit in vanum avernalis iste maledi-  
ctus ac miser genius? quid oggannit? fateor,  
*serpens*

*serpens decepit me.* Hæc & ista peccata commisi, & contrito corde confessus sum omnia. Statuo me JESUM inter & Mariam medium, hinc delector ab ubere, hinc pascor à vulnere. Non potest huc accedere avernalis furia. Et ut omnino ab ea securus sim, intro per latus vulneris in cor tuum ô JESU. Hic peram habeo cum selectis quinque lapidibus velut David contra Goliath. Et primo lapide jacto in frontem Goliathi avernalis, hoc est confidentiâ animatus, & fortitudine sacri vulneris lateris tui, proster-no bestiam. Adhuc alios quatuor sacrorum vulnerum manuum ac pedum tuorum habens reservatos.

*In tentationibus ratione prædestinationis.*

**I**N parte prima hujus *Vade mecum* §. 10. varia hinc servientia attuli. Monui in Præfatione ante Cap. V. *In hac parte 3tia* solidioris pietatis ac devotionis exercitia erga Deum Trinum, incarnatum, Eucharisticum, benedictam ejus Matrem immaculatè conceptam Virginem, Angelos & Sanctos, item misericordiæ opera erga Vivos ac Defunctos, æternæ quoque prædestinationis signa esse bona & argumenta. Devotioni isti me dedi in vita mea. Ergo spem bonam concipio me esse in libro vitæ inscriptum. Si jam non reprehendat me conscientia mea, quòd sciens volens culpâ maximè lethali offenderim summum bonum meum à tam longo tempore, adeoque fundamentum habeam sperandi,

di, quomodo ab eodem tempore per Dei gratiam in gratia sanctificante permanerem, eamque per frequentem usum Sacramentorum poenitentiae & Eucharistiae, per virtutum actus, ut ut sunt dilectio perfecta inimicorum, opera misericordiae corporalia & spiritualia erga proximum &c. auerim; si praeterea per Dei gratiam moriar in illo ordine religioso, ad quem vocatus sum, & vocationem meam semper magni fecerim, & aestimatio illa pondus addiderit ad haec illa facienda, sufferenda amore Dei mei. Cur ego v. g. in Societate JESU moriens non refugiam plenus fiducia ad pallium istud Marianum? quo V. Gutierrez protegi vidit JESU Socios. Ergo spes mea me non confundet. Ergo pereant, qui me jam in agone constitutum persequuntur, *induantur in diploide confusione, qui dicunt mihi Euge, Euge.*

Quidam è Societate hanc sibi orationem tempore mortis servituram ad B. V. concinnarat, & in scripto petierat, ut ea sibi à quodam tunc praegeretur. Tu mutatis mutandis eam tibi prout voles applicabis.

**O** Benedicta Dei Mater Virgo immaculatè concepta. Deus per te distribuit omnem gratiam etiam finalem. Tuae intercessioni ascribo, quòd ad Societatem filii tui D. N. J. C. vocatus sim, & in ea à tot animæ periculis praeservatus moriar. Postquam tot & tot annos in ea transegi. Tu tota nostra es benignissima Mater, ut ideo Societas JESU etiam jure vocetur Sodalitium Mariae. Ad imaginem tuam in

R

Moate

Monte Serrato S. P. N. Ignatius in alium virum  
mutatus est. In æde tua Parisiis decem Patres  
sua prima vota nuncupârunt. In tuo Sacello in  
templo S. Pauli Romæ publicam fecêre Profes-  
sionem, ut cum summo animi mei solatio ibi-  
dem legi. Primum Romæ templam, quod  
Societati nostræ cessit, erat Mariæ de Strada.  
Tu S. P. Nostro constitutiones scribenti appa-  
rere solita es, tu eundem, dum admirabilem  
illum exercitiorum libellam conscripsit, in-  
struxisti. Tu domum tuam Lauretanam ( in  
qua cum exuberantis animi gaudio & fiducia in  
Deum plenus quater celebravi ) à nostris inha-  
bitari voluisti. Tu revelare dignata es, quòd  
præter causas alias etiam ideo à Filio tuo D. N.  
J. C. in orbem inducta sit minima Societas no-  
stra, ut pro immaculata Conceptione tua tan-  
quam pro aris & focus tuendâ strenuè decerta-  
rent Ignatii filii. In primis Theſibus, quas ho-  
mines è Societate JESU publicè typo dederunt  
Romæ, felicibus sanè auspiciis hoc Immaculatæ  
Conceptionis tuæ Myſterium propugnârunt.  
Et ego singularem semper erga id devotionem  
per Dei gratiam senti. Cur ergo ego licet om-  
nium minimus & indignissimus in simplicitate  
cordis mei tot per te favoribus ac gratiis cumu-  
latus sub pallium illud, quo universam prote-  
gis Societatem, non confugerem? ego spero &  
iterum spero per te me inventurum misericor-  
diam in oculis Filii tui Salvatoris & Judicis mei.  
Hâc fiducia fretus morior, & salutem meam  
æternam tibi post Deum in æternum adscribam.

*Ruminanda dum dicitur proficiscere anima Christiana, &c. datur cereus ardens, & Crucifixus in manibus.*

**D**UM sanus es, & statuis per annum temporibus, atque post exercitia octiduana unum tibi diem seligis, quem totum in præparatione ad bonam mortem impendis. Ut Cap. hic 7<sup>imo</sup> §. 2. docui. Lege tunc quoque, & devotè ora, quæ in fine Breviarii post Psalmos Pœnitentiales & Litanias majores de ordine commendationis animæ. Et sunt primò Litaniz breviores. 2dò. *Proficiscere anima Christiana* cum sequentibus orationibus, dum adhuc agonizat moriens. 3<sup>to</sup>. Orationes, quæ egressâ jam animâ dicuntur à Sacerdote aliisque adstantibus. His omnibus precibus mira vis & energia inest. Ad hæc, ut sæpiùs dixi, cum communes sint orationes Ecclesiæ Sponsæ Christi, in iis magna est collocanda fiducia. Et quo tibi tempore vitæ familiariores fuerunt, eò majus quoque solatium ex iis agonizans habebis, & in affectus materiæ substratæ congruos faciliùs prorumpes. Singulariter autem, quia sunt communes toti Ecclesiæ preces, tunc reminisci oportet articuli in Symbolo Apostolico *de Communione Sanctorum*. Quia per devotam harum precum rurationem vel maximè agonizans tibi applicare poteris merita Sanctorum, B. V. Passionis ac Mortis D. N. J. C. ex infinito Ecclesiæ thesauro.

R 2

Dum

Dum datur Cereus in manus, dic : hoc signum est, quod vadam in terram tenebrosam & operam mortis caligine ; ubi in transitu lumine Christi sanè opus est. Sumo hunc Cereum in manus, ut protestor me mori velle in fide Romano-Catholica. Sumo hunc Cereum in manus, ut ad extremum eò adhuc semel perlustrem omnes latebras conscientiarum mearum. An restet peccatum nondum expiatum etiam levissimum, an obligatio aliqua Deo aut proximo adhuc explenda. Et elicio contritionem & propositum omnes obligationes meas implendi. Sumo denique Cereum hunc ardentem in manus, ut instar Virginum prudentium paratus cum instructa lampade ardente oleo bonorum operum & maximè caritatis Sponso meo caelesti obviam, Vos Angeli intonate *Lumen Christi &c.* dum ad templum gloriae aeternae propero. Vos interim Fratres mei in Christo dilectissimi ignoscite defectibus & malo exemplo meo, & orate pro me.

Dura datur Crucifixus in manus, ardentissimo illum affectu stringe, & delecto, si fieri potest, capite erecto que non nihil corpore osculans Crucifixi pedes cum viva fide ad Redemptorem tuum dic : *Domine IESU per vulnus pedis dexteri tui peto à te, ut ducas me illis momentis, quibus adhuc vivam, viâ Crucis. Auge dolores, auge & patientiam. Per vulnus pedis sinistri rogo te, dirige in conspectu tuo viam salutis meae.*

Osculans vulnus manus dextrae ter dic : *Domine IESU, per vulnus tuae dextrae peto à te. Collocat*

loca me ad dextram in instanto iudicio particulari,  
& postmodum universali.

Osculans vulnus manûs sinistrae dic: Peto à  
te, benedic omnibus, propitius sis omnibus, qui  
sinistrè de me locuti sunt, egerunt, cogitaverunt, vel  
id adhuc faciunt.

Osculans vulnus lateris dextri dic: Domine  
JESU, per vulneratum cor tuum amore mei peto  
misericordiam pro animabus in purgatorio maximè  
iis, pro quibus me maximè orare vis, pro obstina-  
tis peccatoribus, pro pueris, qui in periculo sunt,  
ne ad baptismum perveniant. Pro omnibus me-  
cum morientibus, & in iudicio tuo particulari unâ  
mecum comparituris, pro omnibus in Christo &  
sanguine mihi conjunctis, denique iis, pro quibus  
quocumque demum titulo præterea orare debeo. Ro-  
go insuper, ut Societas JESU Mater mea in suo  
primævo semper flore maneat ad majorem tuam glo-  
riam & animarum salutem, cultus erga Deum  
Trinum, Deum incarnatum, Deum Eucharisti-  
cum, & mysterium immaculate Conceptionis Dei-  
paræ Virginis magis magisque semper propagetur,  
& ultima mea respiratio sit erga cor tuum O JESU.

Demum Crucifixo mihi & adstantibus imper-  
rior benedictionem, ventiloque Crucem ut mi-  
litare labarum & signum, in quo ultimò diabo-  
lum vincam. Et dico spe plenus: In baculo isto  
eransibo Jordanem istum, In manus tuas Domine  
commendo spiritum meum. Vivo & morior in  
corde JESU. Vos Sancti, quorum memoriam  
hodie colit Ecclesia, subvenite. Sed hem An-  
gele mi Custos, instat iudicium non quidem

universale illud sed particulare meum. In quo tamen sententia feretur, quæ per totam æternitatem non erit revocabilis. Diabolus in eo aderit ut accusator. Archangelus Michael ut operum meorum omnium ponderator, Dominus meus JESUS Christus Redemptor meus ut Judex, tu spero ut Patrocinator animæ meæ. Non indigebit illa, ut ad comparandum in iudicio trajiciat Maria, in terras longinquas abeat, aut in aereas se transferat regiones. Ubi homo moritur, ibi immensus ille Deus est. Adeoque quamprimum anima è corpore egressa est, à Majestate divina infessa, possessa, circumfessa, circumcincta, involuta est, non secus ac fluctuans navicula in medio immenso, intransatabili oceano. Tenebit illam manus Dei viventis, ex qua nullum est effugium. Ad corpus exangue sive in lecto mortuali sive in tumba jacens Amici, Collegæ, Confratres fundent preces, quæ juvare non poterunt. Si jam pronuntiata sententia est. *Maledicte in ignem æternum.* Proderunt tamen. Si dicatur: *Veni Benedicte in regnum celorum*, postquam ablutum in me fuerit, quod adhuc est coinquinatum. Finitum autem jam tum erit iudicium. Antequam ab infirmario claudantur oculi, & os comprimatur, multò magis antequam in tumbam inferatur fœtidum corpus, & ad eam officium Defunctorum, cæteræque consuetæ Ecclesiæ preces persolvantur. Saluta ergo bone Angele ex me misero gloriosos tuos cæli concives, Angelos inquam Custodes omnium eorum,  
qui

qui pro me oraturi sunt, aut sacrosanctum Missæ Sacrificium oblaturi. Rogo eos, ut clientes suos excitent ad justam animam meam cum magno fervore persolvenda. Sed ecce ibi adstat cruenta bestia. Vae mihi, si funesti aliquid in me reperiat. Judex imminet, cui non potero respondere unum pro mille. Superi boni, tot peccata juventutis, ignorantia, propria, aliena, commissionis, omissionis cogitatione, verbo & opere commisi, & ipsa opera bona tot sciant defectibus. Jam omnia ab usu rationis usque ad hoc momentum à me cogitata, dicta, facta secundum minutissimas circumstantias prope diem tam clarè intuebor. Sicut vivens ego nequidem omni possibili adhibitâ diligentiam vel unius diei cogitata, facta, dicta potuissem recolligere. Quid fiet animam meam? tot gratias, inspirationes bonas habui, tot lumina & claras de æternis veritatibus cognitiones, tot horam, dies, menses, anni, minuta mihi à bono Deo data sunt, ut non in speculatione sisterem, sed re ipsam in Praxi bene his omnibus uterer. Jam sæpius & toties in exercitiis maximè annuis mihi proposui, ut ad declinandum sine misericordia iudicium me ipsum dijudicarem, severas rationes exigerem; cur hæc illa Passio cæterorum maximè defectuum ac peccatorum origo nondum suppressa sit, cur huic illi sensualitati contra tot facta proposita adhuc indulgerem, cur non tandem securim ad radicem ponerem, eor penitus ab omni inordinato creaturarum affectu vacuum Deo offerrem, uno verbo hoc

facerem, quod moriens factum fuisse vellem,  
 & expiatis sincerâ pœnitentiâ delictis omnibus  
 toto corde amarem Deum, & in Deo & propter  
 Deum unicè cœtera. Jam clarè video dudum  
 id à me fieri, & statum, in quo modò sum, sem-  
 per mihi vivaciter ante oculos debuissè ponere.  
 Si id tandem practicavi eo quo par est modo,  
 benè est. Si adhuc in multis defui, ô mi fide-  
 lis Angele Custos juva, ut intensissimo contriti-  
 onis actu resarciam quod possum. Interim quæ  
 est tessera militaris inter nos duos? ut animam  
 meam in transitu instante agnoscas & ipsa te.  
 Nunquid ultimo pronuntiata ore vel corde con-  
 trito hæc salutifera nomina JESUS, Maria, Jo-  
 seph, JESUS? ergo præcede abeuntem, sicut  
 excepisti introeuntem in hoc corpus animam.  
 Post modicum videbimus nos. Jam rogo ad-  
 stantes Sacerdotes vel alios, ut mihi morienti  
 inclament sacra nomina. Credo, spero, amo.  
 Doleo ex toto corde de peccatis meis ob Deum in-  
 finitum in se bonum offersum. Fiat voluntas tua  
 O Deus, in quam quoad omnia me perfectissimè  
 resigno. In manus tuas Domine commendo spi-  
 ritum meum. Domine JESU suscipe spiritum  
 meum. Maria Mater gratia, Mater misericor-  
 dia, tu me ab hoste protege, & horâ mortis sus-  
 scipe. Subvenite Angeli Dei, occurrite Angeli  
 Domini suscipientes & offerentes animam meam  
 in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus, qui  
 vocavit te, &c. Hæc suspiria & orationes ex  
 Agenda Romana sequentes commendo te omni-  
 potenti Deo, &c. Suscipe Domine, &c. commen-

*damus tibi Domine, &c.* Item orationem de singulis articulis Passionis ac Mortis Christi peto mihi lentè ac intelligibiliter, quàm diu compositionis esse iudicor, prælegi. Quia, ut sæpè in hoc *Vade mecum* inculcavi, multùm confido in precibus communibus Ecclesiæ, & per has in instanti mortis ultimò devotè persolutas vel auditas manifestum iterum omnibus volo facere, quòd in Romano-Catholica Ecclesia moriar. Pro solatio meo subin intermiscerè poterit gratulationis affectus, quòd Virgo Deipara tantùm in primo Conceptionis momento immaculata fuerit, item tenerum erga s. sacræ vulnera maximè cor JESU suspirium, repetitio septem verborum Christi in Cruce. Demum finis mei ultimi inculcatio, quòd ideo creatus, redemptus sim, & tot à Deo præ innumeris aliis gratias in hoc illo statu acceperim, ut in æternùm Deum Triunum viderem & amarem.

### Ad Lectorem.

**H**Abes hïc varia, ut & tibi pro te & pro variis, quibus in extrema lucta fors assistes, servire possint. Aliqui erunt docti, alii indocti, & minùs ad illa percipienda capaces. Aliqui moriuntur sine magnis, prout exterius salutem apparet, angustiis. Alii & quidem sæpè devotiores ac doctiores multis tentationibus circa fidem, peccata præterita, metu quasi in pusillanimitatem vergente, obruuntur. Aliqui


qui post Viaticum & Extremam Unctionem perceptam moriuntur statim, alii diutius supervivunt, & lentâ quasi rabe exeduntur. Aliqui præsentibus sibi manent usque ad extremum spiritum, alii somno vel lethargo oppressi vix in virtutum actus prorumpere possunt. Prout subjectum est dispositum, sic applicanda sunt remedia. Interim sive tibi hoc C. septimo in septem §. §. divisa, quæ remotiori ad mortem præparationi serviunt, & allata hoc §. ultimo, quæ proximis ad mortem benè obeundam disponunt, placeant, sive alia præplaceant, mea non interest. Hoc solum tibi & mihi inculco, ut &, dum sani sumus aut ægri citra mortis periculum, & dum periculosè ægotamus, tam remota quàm proxima ad mortem feliciter obeundam præparatio tanquam solidissimæ devotionis exercitium nobis maximè cordi sit. Ars artium utique est, à qua tota felix vel infelix pendet æternitas. Et hæc est ipsissima ars benè moriendi. Nulla autem vel minima ars sine prævio exercitio addiscitur. Superi boni! an non sanguineis deplorandum est lachrymis? si sæcularis Catholicus, Sacerdos, religiosus illam artem artium exercitiis per multos annos præudentibus non conetur addiscere. Dum in teatro personam acturus es Regis imò & rustici, diu multumque ab ante te exerces. Ut ergo personam benè agas morientis in teatro lecti mortualis, ubi spectaculum fies Deo, Angelis & hominibus, in ea non tantùm dum æger, sed & dum sanus es, diu multumque ab ante & sedulò te exerces. Eveniet

&amp;


& inde hoc tibi commodum, ut in agone te circa hoc aut illud non inquietet aut cruciet conscientia. Infirmi tumus homines, & etiam justus, hoc est in gratia Dei constitutus, cadit non tantum de die septies in semi, si non plenè deliberata venialia peccata sive ob præcipitantiam in lingua contra caritatem, veritatem, mansuetudinem, sive ob oscitantiam, tepiditatem, distractiones in divino cultu ac præcibus, sive ob neglectum officii, regularum, rerum spirituum, aut reverentiæ superioribus, vigilantia inferioribus, æquitatis & impartialitatis æqualibus debita, sive etiam ob nimiam erga carnem propriam & eos, qui inordinatè amantur, indulgentiam. His aliisque modis inquam non tantum justus actu cadit de die septies, sed & manet plerumque nidus aliquis in corde nostro, in quo tam putrida pariuntur ova. Hoc est passio hæc illa iræ, impatientia, invidia nondum domita, vel etiam nimius respectus humanus, stultulus aliquis in cerebello sive nimia sui ipsius æstimatio, amor inordinatus erga consanguineos, compatriotas, amor proprius, critium proprium his illis talentis, officiis suffultum adhuc dominatur. Et ex hac scaturigine profluunt quotidiana illa peccata ac imperfectiones, in quas cadimus. Singulis septimanis etiam religiosi semel bis ter confitentur easdem imperfectiones, & in easdem quoque relabuntur. Contenti sunt aliqui, quod à peccatis saltem mortalibus se sperent esse liberos. Nemo tamen mori vellet hæc illave passione adhuc implicitus. Quia & in octiduanis per annum

exercitiis & aliàs pulsat ad ostium cordis Spiritus sanctus, ut tandem hoc illud erga creaturas quas-  
cum que demum vinculum rumpamus, & cor à  
nobismetipsis & cæteris creaturis omnibus va-  
cuum demus Deo. Nec quoad sensuales affectus  
simus ampliùs rebelles lumini. Jam ut capias ami-  
ce Lector, quòd tibi, de quo supra memini, com-  
modum ex quotidiana ad mortem præparatione  
eveniat, ut in agone scilicet nullatenus inquie-  
teris, adverte, quòd nullum ad hanc tibi felici-  
tatem comparandam facilius & aptius medium  
sit, quàm si & exercitiis annuis peractis & sæpiùs  
per annum v. g. mense quolibet diem impendas  
solidæ ad mortem præparationi. In qua unicè  
discutias, à quo inordinato affectu, à quo vin-  
culo liber in morte optares esse. Non fallit Dei  
verbum: *O mors bonum est iudicium t. um.* Hoc  
experientiã optimã rerum omnium Magistrã di-  
dicerunt viri multi præclari, qui ita sæpiùs ad  
mortem se præparantes omni se paulatim inor-  
dinato exuerunt affectu, & cordis omninò va-  
cui possessionem dedere Deo. Hoc in agone  
cum summo exultantis animi gaudio quidam  
mihi tunc adhuc juveni benè notus elevatis in  
cælum manibus & oculis contestans exclamabat:  
O quantum est in morte solatium à tanto  
tempore à tot annis Deo servivisse soli.  
Cui sit honor & gloria in sæcula  
sæculorum. Amen.

F I N I S.









Th  
3181